AZ.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIII
B
NAPOLI
7 - 31

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO E. NAPOLI



JOANNES CLERICUS.

Genevæ Natus an. 1657. 19 Mart. S.V.

Nil sine magno Vita labore dedit mortalibus.

B. Picart ad vivum delin. et sculp. 1710.

Digitized by Google

JOANNIS CLERICI

PHILOSOPHIÆ ET S. LINGUÆ, APUD REMONSTRANTES, AMSTELODAMI PROFESSORIS

VITA ET OPERA

AD ANNUM MDCCXI.

AMICI EJUS OPUSCULUM,

Philoſophicis CLERICI, *Operibus ſubjiciendum.*



AMSTELODAMI,

Apud JOAN. LUDOVICUM DE LORME.

M. DCC. XI.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

Google

Digitized by Google

BIBLIOPOLA LECTORI S.

C*UM hîc V. C.* Joannis Clerici *Opera quartùm recudiſſem, ea eſſe etiam Lipſiæ edita, & quò avidiùs emerentur, meáque proinde Editio minùs à ſtudioſis Philoſophiæ quæreretur, præfixam eſſe Auctoris vitam accepi. Quod cùm vidiſſem, oravi non ipſum* Clericum, *qui hoc à ſe impetrare non potuiſſet, ſed amicum ejus, cui à pueritia, intus & in cute, notus eſt, ut mihi quoque brevem V.* C. *vitam ſcribere vellet. Rem ille, enixis meis precibus expugnatus, ſuſcepit, & ſequentem narrationem paullò pòſt mihi in manum tradidit. Aiebat, tametſi vir eruditus,*

ditus, qui vitam illam Lipſiæ emiſit, non malo in Clericum *animo ſcripſerit, & laudes etiam, quas* Clericus *nimias judicat, in eum congeſſerit; eſſe tamen quædam, in quibus minùs adcuratus ſit, aut quæ aliter habent, quàm putabat; eámque cauſam potiſſimam fuiſſe, cur mihi id quod ab eo petieram gratificatus eſſet. Hac ergo ejus operâ, Lector, fruere; quam non ingratam tibi fore putavi, quòd & virorum celebrium non Opera modò, ſed etiam vitam & mores libenter Litterati cognoſcant. Cùm verò quotidie à me petant librorum ejus cupidi, quidnam ediderit V. C. indicem Operum, ab eo ad hunc uſque diem emiſſorum, ſubjungi curavi. Vale.*

Amſtelodami Calendis Juniis anni M. DCC. XI.

JOAN-

JOANNIS CLERICI,

Philoſophiæ & Sacræ Linguæ Amſtelodami, apud Remonſtrantes, Profeſſoris,

VITA.

MULTI amicorum fato functorum vitam ſcriptis mandare adgreſſi ſunt, atque hoc pietatis ſuæ in amicos monumentum, omnibus plaudentibus, reliquerunt. Sunt etiam, qui vivorum Collegarum vitas & elogia ſcribere non dubitarint; quod, poſt alios plures, fecit vir doctiſſimus CAROLUS PATINUS, in LYCEO PATAVINO, quod in lucem *Patavii* anno MDCLXXXII. emiſit. Ego verò viri amiciſſimi, & ab ipſa infantia mihi, ad hoc uſque tempus, notiſſimi & conjunctiſſimi vitam, ad hunc annum

MDCC XI. ſcripturus, ab omni laude, quoad ejus fieri poterit, abſtinebo; quòd nemini minùs gratam, quàm ei, qui meritus eſt, futuram probè norim. Sed cùm hominem, ut ego quidem judico, immerentem multi maledicis ſcriptis invaſerint; mei eſſe officii amicum obiter defendere, prout res poſtulat, puto; qua tamen in re ab omni ejus adverſariorum inſectatione ſuperſedebo. Scio eum naturâ & ſtudio alieniſſimum eſſe ab omnibus rixis, eáſque ſemper fugiſſe; nec niſi invitum, non ut cujuſquam Proteſtantium famam ſponte ſuâ violaret, ſed ut neceſſariâ defenſione ſe tueretur, calamum adripuiſſe; at dudum eſt, ex quo vir ſapientiſſimus dixit *neminem tam timidum offenſarum, qui non in illas, dum vitat, incidat.* Nec CLERICUS, ut ſpero, ægrè feret à

* *Seneca de Ira Lib. III.* 24.

me ipſius adverſariis nullam juſtam mihi indignandi cauſam præberi; quamvis diſſenſum ab iis meum diſſimulare nec poſſim, nec debeam, niſi æquitatis & amicitiæ ſanctiſſima jura conculcare velim.

Pater JOANNIS CLERICI fuit Doctiſſimus & Ampliſſimus Vir STEPHANUS CLERICUS Medicinæ primùm Doctor, tum Græcæ Linguæ in Genevenſi Academia Profeſſor, ac tandem Reipublicæ Genevenſis Senator, de quo filius nonnulla, in Præfatione *Quæſtionum Sacrarum* DAVIDIS Patrui & STEPHANI CLERICORUM, ſcripſit. Mater fuit SUSANNA GALLATINA, MARINI GALLATINI, ejuſdem Reipublicæ Senatoris, filia, matrona lectiſſimis moribus, eáque manſuetudine, quæ omnibus, quibus nota erat, fuit admirationi. Natus eſt anno MDCLVII. die Jovis XIX. Martii, pro Stylo

Vetere, qui tunc Genevæ erat in uſu. Infantem, ex delectu patris, in baptiſmo ſuſcepit RAIMONDUS SAVION Senator; nec tamen prænomen ſuum ei impoſuit, quia puerpera, quæ, neſcio qua de cauſa, à nomine RAIMONDI abhorrebat, JOANNEM adpellari maluit; qua ex re, omen fortaſſe nonnemo traheret; ſed me non decet ejus viri vitam ſcribentem, qui ab ejuſmodi ſuperſtitionibus abhorret, ita argutari. Secundus fuit parentum filius, qui tres ſuſceperunt etiamnum ſuperſtites; quorum natu maximus eſt Eruditiſſimus & Ampliſſimus Vir DANIEL CLERICUS, Medicinæ Doctor & Senator Reipublicæ Genevenſis, doctrinâ, prudentiâ, morum elegantiâ & comitate, non apud cives tantùm ſuos, ſed & apud exteros, qui Genevam inviſerunt, celebris. Scripſit, Gallico ſermone, *Hiſtoriam Medicinæ*

dicinæ ad Galenum uſque, quæ Amſtelodami anno mdccii. prodiit, & doctiſſimorum quorumque Medicorum puncta tulit. Minimus natu fratrum Franciscus Clericus jam dudum Lipſiæ ſedem fixit, ubi honeſtiſſimè negotiatur.

Clericus noſter, unà cum fratribus, eſt à parentibus non tantùm magno adfectu, ſed diligenter etiam educatus; patris enim negotioſa ceteroqui vita numquam obſtitit, quominùs filiorum curam gereret. Miſſus eſt noſter, ut ſolet, in Scholam Latinam, ab anno ætatis octavo, in qua ad annum quintum decimum puerilibus ſtudiis operam dedit; idque eo ſucceſſu, ut præmium diligentiæ in quinque Claſſibus retulerit. Vix tredecim annos natus erat, cùm ſingulari legendi ſtudio flagrare cœpit, ita ut poſtquàm puerilibus ludis corpuſ-

culum, cum æqualibus, ut ſit, exercuiſſet, ſe ſe in Muſeolum conferret, ut LIVIUM, in Linguam Gallicam verſum avidiſſimè lectitaret, & quæ legerat narrare non difficulter poſſet. Ita iis quæ legebat adficiebatur, ut ludos, quibus pueri eâ ætate diſtinentur, numquam probè didicerit, & poſtea etiam adoleſcentiæ ludicrorum parum peritus fuerit; quamvis alioqui minimè moroſus eſſet, & cum æqualibus non illibenter, cùm vacabat, luſitaret. Memoriâ ita pollebat, ut quæ memoriæ mandanda à Ludimagiſtris imponebantur, tum demum diſcere inciperet, cùm paullò poſt ei eſſet in Scholam eundum, & mox memoriter recitanda. Poſtquàm eò provectus eſt ut Latini verſiculi pangendi ei à Magiſtro imponerentur, tantâ facilitate verſuum numerum, qui exigebatur, fundebat, ut non ſibi tantùm

ſed

ſed & tardioribus condiſcipulis verſus faceret; nec dubito quin, ſi ea poëticæ facultatis veluti ſemina coluiſſet, famam etiam ſibi, oratione numeris adſtrictâ, comparare potuiſſet. Sed gravioribus ſtudiis prorſus addictus rem planè neglexit, nec umquam verſus fecit, niſi aliud agendo, & occaſione datâ, ut alienis operibus adjungerentur. Sic cùm anno MDCLXXXIX. ſolius amicitiæ cauſâ, quæ ei intercedebat cum Reverendiſſ. Præſule GILBERTO BURNETO, Salisburienſi Epiſcopo, Conciones ejus duas coram Gulielmo III. M.Britanniæ Rege habitas, Gallicè ex Anglica Lingua vertiſſet; alteri poëmatium heroïcis verſibus, alteri Epigramma elegiacis de *Anglia Liberata* ſubjunxit, ex quibus non omnino eam venam in illo exaruiſſe colligere poterunt Lectores.

Cùm jam ad ſuperiores Claſſes

perveniſſet, cœpit adcuratiùs Linguæ Latinæ & Græcæ operam dare, TERENTIÚMque & PLAUTUM tantâ curâ verſavit, ut eorum Interpretes in Epitomen ſibi redegerit. HOMERUM quoque, & faciliores aliquot pedeſtris orationis ſcriptores legit; nec parùm adoleſcentulum Patris optimi, ejuſdémque doctiſſimi viri, cura adjuvit. Jam ab illo tempore fruebatur paterna Bibliotheca, quam inſtructiſſimam omnis generis Scriptoribus optimis, & elegantiſſimis, quæ tunc quidem exſtarent, editionibus, à fratre DAVIDE, dudum fatis functo, acceperat STEPHANUS CLERICUS, & multùm etiam auxerat. NICOLAUS CLERICUS, utriuſque pater, jam olim filiis optimos compararat libros, è Bibliothecâ HENRICI STEPHANI, cui, filioque ejus PAULO, amiciſſimus vixerat. Quin & pecuniam ei

ei mutuam dederat, quam poſtea amiſit, ut dixit ad vitam Is. Casauboni Bibl. Selectæ Vol. XIX. Joannes Clericus. Hinc in Clericorum Bibliothecâ fuere Stephanorum optimæ Editiones, quarum etiamnum nonnullas habet, Genevâ Amſtelodamum, non ſine magno ſumtu, advectas. Natus ergo atque educatus, ut ſic loquar, in libris, & à Patre, viro multijugis lectionis, cui ad ſummam ſenectutem incubuit, excitatus, ab ipſa adoleſcentia legendo, ſcribendóque vitam contrivit.

Poſtquàm inferioris Scholæ ſpatia emenſus eſſet, Philoſophiæ, ineunte anno ætatis ſexto decimo, ſæculi à Chriſto nato ſeptimi decimi LXXIII. operam dedit, & virum ingenii & ſolertiæ in docendo ſingularis Robertum Chouëtum, qui Salmurio, ubi Philoſophiam profitebatur, in patriam ad

idem munus merito ſuo revocatus fuerat, audivit. Eo demum tempore, RENATI CARTESII placita invaleſcere Genevæ, eo docente, cœperunt. Poſtea vir ille eximius, majoribus naturâ & vitæ uſu aptus, Reipublicæ negotiis admotus eſt, Senatoriſque & Syndici ampliſſimo munere Genevæ fungitur. Dum eum Logicam interpretantem audiret CLERICUS noſter, in ardentem febrem incidit, initio anni MDCLXXIV. quâ per quadraginta dies lecto adfixus eſt. Conclamatus jam à patre, aliiſque peritiſſimis Medicis habebatur, quippe qui ardore febris ad delirium adactus, per ſex continentes dies, licèt è venis copioſè emiſſus eſſet ſanguis, nec oculos clauſerat, nec delirare deſierat; cùm ei in juſculo præbitis ſalis viperini aliquot granis, ſomnum recuperare cœpit, & deinceps meliùs habuit; donec, febre

febre tertianâ correptus, iterum cum morbo conflictatus eſt, curatá que etiam illâ febri, prorſus convaluit. Quod cùm lentè fieret, nec interea domo pedem efferret, lectioni ſenſim iterum ſe ſe mancipavit. In Schola, elegantiùs pingendorum characterum conſuetudinem amiſerat; ſed dum conatur, manu, per aliquot menſes, debili, fallendi temporis cauſâ, non nihil conſcribillare, meliùs ab eo tempore characteres exaravit. Memini eum, circa hæc tempora, ingenioſas illas *Epiſtolas Criticas* TAN. FABRI lectitaſſe, quas meritò cùm admiraretur, de locis tamen nonnullis à viro acutiſſimo diſſentiebat; quamobrem & diſſertatiunculas aliquot Criticas in eum ſcripſit, quas Patri oſtendit ac probavit, ſed maturiore ætate diſcerpſit; quamvis emendationes nonnullas in *Arte Critica* deinde legerim, de

quibus

quibus jam tum eum loquentem audiveram. Poſtea Phyſicæ operam dedit, Theſéſque, ſub præſidio memorati Profeſſoris, *de Materiæ natura*, ſi bene memini, defendit; nec tamen, elapſo biennio, illico ſe ad Theologica ſtudia contulit, ſed annum in Humanioribus Litteris, Linguæque Hebraïcæ elementis à JACOBO GALLATINO V. D. M. avunculo ſuo, cùm nullus eſſet Hebrææ Linguæ Profeſſor, accipiendis abſumſit. Ab eo tempore, numquam à lectione librorum, quibus ad ea ſtudia quod adtinet, doctior fieri poterat, vacavit; quâ legendi pertinaciâ effectum eſt ut poſtea, longè faciliùs quàm multi poſſent, & legendi laborem tulerit, & ea Opera perfecerit, quæ maturiore ætate in lucem emiſit. Conſuetudo enim tandem ei in naturam vertit, & ab iis laboribus, quibus multi graviſſimè vexarentur, voluptatem non exiguam

guam cepit. Alioqui numquam tot labores ferre potuiſſet, tótque libros in lucem emittere; quot non pauci, qui Litterarum tamen ſtudioſi haberi cupiunt, numquam legerunt. Ad hoc acceſſit bonæ valetudinis, ab illo propè exitiali morbo, vix interruptus tenor, niſi raris febriculis, per triginta ſeptem annos; per quorum decurſum vix umquam per triduum, niſi in itineribus, à ſcribendo, legendóve abſtinuit.

Anno quidem ætatis nono decimo labente, ſæculi verò LXXVI. Theologiæ doctores audivit V V. RR. PHILIPPUM MESTREZATIUM, FRANCISCUM TURRETTINUM, & LUDOVICUM TRONCHINUM; quorum prælectionibus conſtanter per biennium & paullò ampliùs adfuit. Ab aliquot annis, antequàm ex inferiore Ludo Litterario egrederetur, controverſiæ

acer-

acerrimæ exortæ fuerant Genevæ, de *Gratia univerſali*, ut vocabatur, déque amplitudine efficaciæ mortis Chriſti. MESTREZATIUS & TRONCHINUS, cum aliquot Paſtoribus, favebant ei ſententiæ, quam celeberrimi viri JOANNIS CAMERONIS diſcipuli Profeſſores Salmurienſes, & præſertim MOSES AMIRALDUS defenderant; ſed numero ſuffragiorum & auctoritate præſertim Helvetiorum victi, tacere hac de re coacti ſunt. STEPHANUS CLERICUS, qui tunc temporis Senator erat, eidem ſententiæ quoque favebat, quæ filio ejus vero propior etiam poſtea viſa eſt. Sed quia inſtitutum fuerat, ut Theſibus quibuſdam contrariis & *Conſenſui Helvetico*, ut vocabatur, ſubſcriberent quicumque ad S. Miniſterium admittebantur; vix quiſquam adoleſcentium, qui ſe ſe ei conſecrarant, audebat eas controverſias ad examen revocare;

re; ne fortè in eas ſententias delaberentur, quibus à S. Miniſterio excluſi fuiſſent. Nec, ſi *Theſes Salmurienſes* excipias, Genevæ ulli legi poterant libri, ex quibus aliter ſentientium doctrinam intelligere liceret. CLERICUS, initio Theologicorum ſtudiorum, FRIDERICI VENDELINI *Syntagmata Theologica*, minus & majus, tum etiam *Theſes Salmurienſes* diligenter legit; quibus LUD. CROCII *Controverſias*, contra MARTINUM BECANUM, adjunxit. Quin & *Theſibus Salmurienſibus*; cùm omnia S. Theologiæ capita non complectantur, multáque verboſè nimis, multa nimis jejunè in iis diſputentur; ſupplementum ſcribere adgreſſus eſt, quod tamen non perfecit. Simul *Vetus Teſtamentum* Hebraïcè, *Novum* Græcè legit, adhibitis aliquot Interpretibus, nec prætermiſſo HUG GROTIO, quamvis ab ejus

lectione

lectione ſolerent adoleſcentes abſterreri. SAMUELIS quoque BOCHARTI Opera illa duo immortalia *Geographiæ Sacræ & Hierozoïci*, cum ſingulari voluptate, nec minore fructu, verſabat. Omitto multos alios libellos, cùm Latino, tum Gallico ſermone conſcriptos; quos vel ſtudiorum, vel animi cauſâ lectitabat, & de quibus cum amicis libenter colloquebatur; negabat enim quidquam utilius eſſe, quàm, de communibus ſtudiis, confabulari; cùm lecta eo modo meliùs memoriæ mandentur, & noſtra veluti fiant.

Cùm exercitationibus Theologicis, quæ Genevæ ſunt in uſu, omnibus operam dediſſet, Patrémque antea, anno ſæculi LXXVI, amiſiſſet, de viſenda Gallia cogitavit, profectúſque eſt Gratianopolin anno MDCLXXVIII. ubi in ædibus Ampliſſimi Senatoris N.

SARACENI A PETRA vixit, filiique ejus natu majoris ſtudiis præfuit. Illic tranquilliſſimam vitam egit, ob ſingularem hoſpitis humanitatem, & morum elegantiam; nec ullo pretio, aut mercedis, quæ memoratu digna ſit, ſpe adductus, viam ad Veterum cognitionem ejus filio aperiebat; ſed otio litterario gnaviter uſus utriuſque Linguæ Scriptores nonnullos ſtudioſè legit, nec Philoſophicis, Theologiciſque ſtudiis minùs inſtitit. Quædam etiam in Scripturam, & præſertim in *Epiſtolam ad Romanos* moliebatur; quæ poſtea licèt abjecerit, ut & alia ſcripta, tirocinium tamen fuerunt quo commentandi, & ſcribendi facultatem ſibi eam ſenſim comparavit, quâ poſtea apud Batavos ad majora uſus eſt. Anno pòſt, unà redierunt CLERICUS & SARACENUS filius Genevam, ubi occaſione datâ, CLERICUS ad S. Mi-

Miniſterium eſt admiſſus, ſuffragiáque eorum, à quibus ſolitis interrogationibus, examinibúſque eſt pertentatus, cùm in rebus Theologicis, tum in Philoſophicis, tulit. Circa illa tempora, nactus eſt ab amico libellum STEPHANI CURCELLÆI, aviæ ſuæ paternæ fratris, quem doctiſſimus vir *Quaternionem* inſcripſit, cúmque noſter avidè legit. Sæpe quidem audiverat à Patre, ſibi fuiſſe in Hollandia, apud Remonſtrantes, avunculum; ſed ejus libri numquam lecti à Patre fuerant, nec Genevæ eo tempore proſtabant. Jam tamen prodierant Opera CURCELLÆI, ſub finem anni MDCLXXIV, in lucem à V. C. PHILIPPO LIMBURGIO emiſſa, ſed non facilè poterant Genevæ comparari. At paullò pòſt cùm Gratianopolin rediiſſet, id volumen à Bibliopola Genevenſi emtum accepit,

pit, & brevi tempore evolvit. Hinc demum pleniùs ſibi intelligere viſus eſt Remonſtrantes rectiùs de dogmatibus, inter eos ceteroſque Proteſtantes controverſis, ſentire, & de deſerenda patria & Gallia, in quibus contrariæ ſententiæ vigebant, acriúſque æquo, ut ei videbatur, defendebantur, ſeriò cogitavit.

Apud Theologos & Philoſophos, legerat Veritatem omnibus anteferendam, & eò ſimplici quadam & apertà indole ſic ferebatur, ut in dies Veri ſtudio magis ac magis flagraret, minúſque quid ſibi videretur diſſimulare poſſet, aut fas eſſe putaret. Ergo id, quod pro vero habuit, profiteri ſe oportere, quàm primùm poſſet, exiſtimavit. Multi ea munera, quæ Theologi ambire ſolent, eodem loco ac reliqua habent; hoc eſt, quaſi ſtipendiorum tantùm cauſâ ex-

SARACENO A PETRA petiit, ſub autumnum anni MDCLXXX. non ſtudiorum, quæ illic planè jacebant, ſed Linguæ Gallicæ cauſâ; qua in ea Galliæ Provincia multò puriore & elegantiùs prolata, quàm Genevæ, aut Gratianopoli, utuntur. Ea in urbe, CLERICUS SIMONIS EPISCOPII Opera legere etiam cœpit, &eruditione, facundiâ, acumine, ac ſollertiâ viri ſummopere perculſus eſt. Sed & illic *Vetus Teſtamentum*, in *Polyglottis Bibliis*, legere adortus eſt, & plura adnotare, quorum ſibi in mentem veniebat, & undequaque, dum alia legeret, conferre; ſine quo labore non ita facilè potuiſſet ingens opus in eoſdem libros moliri, cujus dimidiam partem jam vidimus. Quod adnoto, ne quis ut fungum, unâ nocte, ad hæc natum eſſe ſtultè putet; poſſúmque ejus induſtriæ, cùm po-

pulares Clerici, tum omnes, qui ab eo tempore hominem norunt, teſtes vocare. Illic cùm eſſet, eſt editus libellus, hac inſcriptione: *Liberii de Sancto Amore Epiſtolæ Theologicæ, Irenopoli;* quo in libello multa ex ſententia Remonſtrantium dogmata, locáque Scripturæ Sacræ exponebantur. Reſciverunt Profeſſores Salmurienſes hunc libellum ab *Henr. Deſbordes* Bibliopola excudi, impediréque voluerunt ne abſolveretur; ſed brevi ad umbilicum perductus, in Hollandiam paullò pòſt miſſus eſt. Qui dicunt, ea de cauſâ, Galliâ exire coactum Bibliopolam falluntur, nam diu poſtea illic manſit; nec Gallia abire coactus, niſi poſtquàm deprehenſa fuiſſet Editio libri Davidis Derodonis, Gallicâ Linguâ ſcripti, qui *Tumulus Miſſæ* inſcriptus eſt. Quæſiverunt quidem Salmurienſes Profeſſo-

ſeſſores, quis eſſet *Epiſtolarum Theologicarum* auctor; quas nunc huic, nunc illi, nunc Clerico tribuebant. Quamobrem & nonnulli Genevam, ea de re, ſcripſerunt; ſed certi nihil reſcire potuerunt. Quidam Clerici ingenium in eo ſe agnoſcere putabant, alii nimiam illic eruditionem eſſe contendebant; quàm ut ab adoleſcente, viginti quatuor annos nato, conſcribi potuiſſet. Erant in vicinia nonnulli Paſtores, qui cum Remonſtrantibus ſentiebant; ſed, quaſi ſub Hiſpanica Inquiſitione egiſſent, ceteris Reformatis quid ſentirent aperire non audebant; nec ſanè impune tuliſſent, etiam eo tempore quo Reformata Religio animam in Gallia agebat; uſque adeò animis inſitum humanitatis & æquitatis in Religionis negotio rationem nullam habendam, etiam ab iis qui ab adverſariis contraria

erga ſe fieri volebant! Vagantibus conjecturis, nunc CLAUDIO PAJONIO, celeberrimo Aurelianenſis Eccleſiæ Paſtori, nunc alii libellum tribuebant, nec in quo conſiſterent invenire poterant. Sed res tanti non erat, aut mihi nunc eſt, ut diutiùs ei immorer. Scio eſſe non incelebrem Auguſtanæ Confeſſionis Theologum, qui poſtea ſcripſerit, faſſum ſibi eſſe CLERICUM, libellum à ſe ſcriptum; ſed & hoc certò ſcio, memoriam eum Theologum fefelliſſe, aut CLERICI verba malè ab eo intellecta; quamvis alioqui nihil ſit cur CLERICUM libelli pudeat, præſertim ſi quâ ejus ætate ſcribi oportuerit reputes. Salmurio ad V. C. PHIL. LIMBURGIUM ſcribere cœpit, ut an poſteri STEPH. CURCELLÆI aliqui viverent reſciret, eique conſenſum ſuum cum Remonſtrantibus aperiret. Ab eo humaniſſimas lit-

litteras accepit, atque exinde amicitia, quæ ab utroque religioſiſſimè culta eſt & colitur, eſt nata. Salmurio anni MDCLXXXI. autumno Gratianopolin rediit, ſed non niſi per paucos menſes in ea urbe commoraturus. Erant quidem illic viri humaniſſimi, civiliúmque rerum peritiſſimi; ſed cùm ſit ſedes Senatûs Provinciæ, omnia illic ſtrepunt litibus, nulli aut perpauci viſuntur Litterati homines, aut qui, præter vulgaria, pro captu locorum & temporum, quidquam inquirant. Cum pauculis tamen illis verſatus eſt CLERICUS, cùm Reformatis, tum Pontificiis; quibuſcum colloqui de rebus ad Litteras Humaniores aut Sacras pertinentibus, cum nonnullo fructu, poterat, & frequenter concionantem, Quadrageſimæ tempore, STEPHANUM CAMUSIUM, Urbis Epiſcopum, qui poſtea ab INNOCENTIO
 XI.

XI. in Cardinalium numerum eſt adſcitus, audivit. Gravitate, ingenio, & eloquentiâ, integritatem morum ſic decorabat CAMUSIUS, ut omnibus meritò admirationi eſſet. Plebeiis ſuperſtitionibus minimè addictus, comitate & humanitate eos qui ab Eccleſia Romana receſſerunt alliciebat.

Verùm conſtitutum CLERICO erat in Angliam ire, nec diutiùs iter diſtulit, quàm in menſem Aprilem anni MDCLXXXII. quo Lutetiam ivit & paullò pòſt Londinum, quò ſub Maji menſis finem adpulit. De Lingua Anglica addiſcenda, ut certè Anglicos libros poſſet intelligere, quàm primùm cogitavit, & quia nolebat ſibi tempus in legendis nullius uſûs libris perire, *Catechiſmum Practicum* doctiſſimi viri HENR. HAMMONDI, tum & *Adnotationes* ejus *in Novum Teſtamentum* emit. Quæ eo

ſtylo

ſtylo ſunt ſcripta, ut à Gallo Anglicæ Linguæ Magiſtro, quem conduxerat CLERICUS, ſed homine Theologiæ imperito, non intelligerentur. Sæpe dixit CLERICUS, auditis ſingulorum verborum interpretationibus, ſe Magiſtro hæſitanti ſenſum explicuiſſe. Itaque brevi & Linguæ & rerum ſtudio incenſus, ita omnes difficultates ſuperavit, ut pleraque intelligeret & vertere etiam Latinè non ita multò pòſt inciperet.

Interea aliquoties in Wallonica Eccleſia Gallicas Conciones habuit, ſed poſtea per ſex menſes, aut circiter, *Sabaudicæ*, ut vocatur, Eccleſiæ Ephoris operam ſuam addixit; ut ſingulis diebus Dominicis illic, aut in *Græcorum* Eccleſia, ut dicebatur, Conciones haberet. Nondum in Angliam advenerant, eo tempore, niſi pauci è Gallia profugi Concionatores. In-

ter alios, erat vir doctus & mitioris indolis, in *Sabaudica* Eccleſia, Andreas de l'Ortie; cum quo ſolo paullò familiariùs de rebus Theologicis eſt loquutus, & inter alia hac de quæſtione, *an Lex Evangelio ſit perfectior?* quod in concione dixerat Clericus; qui ſolo Divortii exemplo prolato, rem ei probaſſe viſus eſt, ſed non ulteriùs quid de Controverſiis Theologicis ſentiret aperuit. Epiſcopos & viros aliquot doctos Eccleſiæ Anglicanæ illic inviſit, ſed cùm Anglicè non loqueretur, nec Angli Gallicè ſciant, niſi pauci, nec libenter Latinè loquantur, & humanitate illa Gallorum in peregrinos facili & promiſcuâ raròſint exculti; non ſat diu in Anglia vixit, ut eorum amicitiam ſibi conciliare poſſet, neque enim integrum annum in ea Inſula commoratus eſt. Per ſex tantùm menſes, aut circiter,

ter, ut dixi, eſt concionatus, nec quidquam protulit, quod auditores vel minimùm offenderet, quamvis ex aliis fundamentis plerumque ratio cinaretur, quàm ſolebat ab aliis fieri; nec reverâ, plebs diſſenſu nonnullo Theologorum, in rebus arduis, moveretur & ne eum quidem animadverteret, niſi Theologi ipſi eam concitarent & factionis ſtudio incenderent. Cœpit Clericus in Anglia tuſſi & rheumate ſatis frequenter adflictari, atque ſub benigniore cœlo natus, Londinenſibus nebulis & carbonis lapidei fumis offendi, ita ut pulmoni non nihil timeret; quibus accedentibus ad cupiditatem viſendi Belgii, & cognoſcendi quo in ſtatu illic eſſent Remonſtrantes, quorum doctrinam probabat, conſilium cepit de mari trajiciendo, cum ſat noto Hiſtoriarum, Linguâ Italicâ, Scriptore, Gregorio Læto, qui

 olim

olim Genevæ vixerat, & cum familia in Belgium, quòd Aulam Britannicam offendiſſet, trajiciebat.

Itaque benignâ hieme anni MDCLLXXXIII. in Belgium trajecit, & V. C. PHIL. LIMBURGIUM ſæpiùs inviſit, à quo de ſtatu Societatis Remonſtrantium edoctus eſt quod ſcire cupiebat. Nondum tamen ſe ſe eorum cœtibus tunc adjunxit, quòd à conſanguineis Genevam revocaretur, nec poſſet ab iis impetrare ut æternùm patriæ valedicere liceret; niſi priùs eò ſe ſe conferret & cum iis colloqueretur. Itaque licèt Amſtelodami Wallonicæ Eccleſiæ Concionatores minimè inviſiſſet, Roterodami PET. JURIÆUM inviſit, atque in Eccleſia Gallica ſemel concionatus eſt, nec multò pòſt æſtate mediâ Genevam abiit. Eò cùm veniſſet, conſanguineis & amicis quid ſentiret

ret non diſſimulavit, teſtatúſque eſt ſibi certum eſſe quàm primùm in Belgium redire, ubi ſine diſſimulatione loqui & vivere poſſet. „Non damnare quidem ſe aiebat „aliter ſentientes, & ex animi ſen„tentia loquentes, quamvis eorum „ſententiam non probaret; ſed ſibi „nefas videri aliter loqui, quàm „ſentiret. Nec fermè quidquam „homini Veritatis, aut, quod „perinde eſt, ejus doctrinæ, quam „Veritatis loco habet, amanti, mi„nùs tolerandum; quàm ſi audiat id „quod verum putet, quaſi noxium „ac periculoſum, in concionibus & „circulis traduci; & contraria de„creta acriter defendi, dum nihil „ne modeſtè quidem reponere ipſi „licet. Hoc demum eſſe prodere „& ſpernere Veritatem, quæ pla„nè è terris exſularet, ſi qui eam „primi uſquam docuerunt, ita ſe „ſe geſſiſſent. Se nolle quidem

„ tribuere conſectaria periculoſa, „ quæ è nonnullis dogmatibus ne„ ceſſariò manant, iis qui conſec„ taria illa rejicerent, licèt dogma„ ta ex quibus naſcuntur admitte„ rent; ſed non videri ſibi eſſe boni „ viri, ea dogmata tacere, quæ „ ſola periculoſa illa conſectaria „ excludere viderentur. Aliam eſſe „ rationem eorum, qui ita loque„ rentur, ut ſentirent, licèt erra„ rent; nec viverent ut doctrinæ „ conſectaria ſuaderent, ſi admit„ terentur; aliam ſui, qui Verita„ tem taceret, dum contraria om„ nia audiret. Imò ne tacere qui„ dem ac diſſimulare quod ſentiret „ ſibi tutum fore, quia fervidiores „ vel ipſius ſilentii rationem eſſent „ repetituri, & omiſſæ ipſorum „ doctrinæ ſe inſimulaturi. Ergo „ ſibi multò ſatius eſſe, nullâ con„ ſanguineis & amicis creatâ moleſ„ tiâ, ſine ullius injuria, Hollan-

„ diam

„diam repetere, unde ſi quâ poſ-
„ſet ipſis & patriæ prodeſſe, li-
„bentiſſimo animo facturum. Hæc CLERICUS amicis, hæc conſanguineis, hæc Ampliſſimo Viro, JOAN. DUPANIO, eo tempore Protoſyndico, dixit; & cùm vale dixiſſet patriæ & ſuis, in Hollandiam, ejus anni autumno, remeavit.

Sequente hieme, aliquot Conciones Gallicas in Eccleſia Remonſtrantium habuit; deinde iis intermiſſis, anno MDCLXXXIV. munus docendi Philoſophiam, Humanioréſque & Hebraïcas Litteras inchoavit; quo à viginti ſeptem annis, in Auditorio Remonſtrantium Amſtelodamenſi, fungitur; atque in eo vitæ ſtatu quieto, & ab omni ambitione remoto, omnia Opera perfecit, quæ in lucem in Hollandia & alibi emiſſa ſunt. Ea mox, pro temporis ordine, recenſebo,

quid enim aliud, in vita hominis Litterati, nec ullis negotiis impliciti, niſi iis quæ ad Litteras pertinent, dici queat? Sed nonnulla mihi hîc præmittenda ſunt & ante omnia, ne quis ſibi ſomnia obtrudi à maledicis patiatur, monendi Lectores, CLERICUM, ſi opes ſpectaſſet, aut ignavum otium quæſiviſſet, quæ ſunt præmia hominum ambitioſorum, & qui ſe ideò natos putant ut iis fruantur, brevi fuiſſe iis valedicturum, quibus operam ſuam addixerat. Nec ei blandiri præter modum videbor, ſi in quavis alia Societate Chriſtiana multò majora eum ſperare, otio multò magis indulgere, & vel vigeſimâ parte laborum, quos exantlavit, famam apud ſuos ſat amplam ſibi conficere potuiſſe dixero. Nullâ *liberalitate Batavâ*, quæ quidem liberalitas ullâ ratione dici queat, ſublevatus, nullâ populari aurâ,
nullo

nullo potentiorum favore adjutus, nullâ prenſatione ad munus ullum provectus eſt; ſed Deo Optimo Maximo, ſuoque indefeſſo labori, quem, Deo favente & adjuvante, tulit, & etiamnum fert, omnia debet. Exiſtimat hoc unicuique, & præſertim quidem iis, qui alios docent, impoſitum eſſe officii à Deo; ut omnem lapidem moveant, quò Veritatem & Virtutem, quoad ejus fieri poteſt, dictis, factis, ſcriptis promoveant; eóſque veluti transfugas eſſe, & delinquere in ſacræ illius militiæ leges, qui cùm poſſint facere, non faciunt tamen, & alia omnia curant. Nec puto labores, tanto animo ſuſceptos, tantâ perſeverantiâ & tantis vigiliis confectos, inanes fuiſſe. Sciunt quid velim quicumque in Belgio, in Britannia, in Gallia, in Germania, imò & in ipſa Italia, non ſine ſuo fructu, iis ſe uti profitentur. Fa-

Fateor, ſi alibi vixiſſet, non potuiſſe fieri, ut tot voluminibus in lucem emiſſis æqualibus ſuis prodeſſe conaretur; quia nuſquam alibi tot libri & tam facilè eduntur, & venduntur, quàm Amſtelodami. Nec tamen quiſquam ſomniet ab homine Litterato in Hollandia eo modo poſſe opes ullas adquiri, ſi ita ſe gerat, quemadmodum fecit Clericus; qui libris nihil fermè niſi libros ſibi comparavit, qui libri magni conſtant, cùm tot laboribus emuntur. Nemo fortè cùm laboris patientior ſit, nemo tamen rei faciendæ minùs eſt aptus; & ſatis notum eſt eas non eſſe Bibliopolarum Amſtelodamenſium facultates, qualia nunc ſunt tempora, ut cuiquam paullò lautiùs vivendi copiam facere poſſint. Scio Clericum tot voluminibus eos gratis planè donaſſe, quot nonnemo quem nomine non appellabo, non con-

confecit, neque conficiet. Sed paucis contentus, nec amicis umquam oneri fuit, nec neceſſariis eſt deſtitutus. Qui ab eo alienos libros correctos volunt, aut vilia ejuſmodi miniſteria obita; ii exemplo ſuo oſtendant poſſe tot propria opera emitti, & ſatis otii ſupereſſe, ut aliena etiam curentur; aut deſinant homines deſidioſi ejus laboribus detrahere.

Nec Clerici Opera pleraque ejuſmodi ſunt, ut in iis conſcribendis, labore tantùm (quem tamen magnum eſſe oportuiſſe omnes fateantur neceſſe eſt) non excogitandi facultate, delectu rerum, apto alienorum inventorum uſu, exercitatione in animi ſenſis commodè exprimendis, & idonea omnium diſpoſitione, ut ex ordine ipſo lux animis legentium exoriatur, opus fuiſſe quiſquam dixerit, qui non deſipiat. Ad me quidem quod

quod adtinet, laborem non ſperno, magnique eos facio qui otii ſui rationem quàm optimam reddere poſſunt; ſed pluris multò inventionem, delectum, eloquutionem, diſpoſitionémque rerum facio.

Sed & hoc addam, non potuiſſe fieri ut Clericus de tot rebus Criticis, Philoſophicis, ac Theologicis ſententiam ferret, ſimúlque à multorum opinionibus diverſus non abiret; vel ut nullam ſibi à tot malevolis ingeniis, quæ in Republica Litteraria graſſantur, invidiam contraheret; aut homines famæ quærendæ cupidos ad corripiendum calamum, quo vulgaria contra eum defenderent decreta, non excitaret. Vel unus inter πολυγραφωτέρυς, & celebriores paullò homines proferatur, qui præſertim de vario rerum genere & quidem majoris paullò momenti, ſcripſerit, qui multos ſibi non excitarit ad-

adverſarios; & damnetur CLERICUS. Sed ſi fieri hoc nequeat, ſileant invidi, qui de multitudine adverſariorum ejus garriunt; quot ſi ipſi poſſent ſibi, virtute & eruditione ſuâ, concitare, tum verò vel maximè triumpharent, & gloriarentur.

Nunc, ut ad ea, quæ in Hollandia edidit, aut edi curavit CLERICUS veniam, cùm primùm Amſtelodami ſedes fixiſſet, anno MDCLXXXIV. edidit patrui ſui DAVIDIS CLERICI, in Academia Genevenſi olim Linguarum Orientalium Profeſſoris & V. D. M. *Quæſtiones Sacras*, in quibus multa S. Scripturæ loca, variáque S. Linguæ idiomata explicantur, ad quas acceſſerunt ſimilis argumenti Diatribæ STEPHANI CLERICI. Præfationem præfixit JOANNES CLERICUS, in qua de utriúſque vita egit, & adnotationes nonnullas adjecit.

Bien-

Biennio pòſt edidit alia eorumdem opuſcula & DAVIDIS quidem CLERICI *Orationes*, *Computum Eccleſiaſticum & Poëmata*; STEPHANI verò CLERICI *Diſſertationes Philologicas*. Dolendum eſt hæc non eſſe emendatiùs edita, ſed qui edidit tot aliis occupationibus ab eo tempore diſtinebatur, ut emendationi ſpeciminum ſat adtentus eſſe non poſſet; quod ei vitio verti nequit, qui alienam artem, & quidem gratis, exerceret, & cui res cum peſſimis Typothetis eſſet. Non minùs tamen propterea ex illis *Diſſertatiunculis* eruditio utriuſque CLERICI, & majoris natu facultas etiam Poëtica, eluceſcit. Uterque mirabili fuit induſtriâ, & laboris patientiſſimus; quod ſciunt qui viderunt Apographum *Alcorani* Arabicum, manu DAVIDIS CLERICI exaratum, & punctis, ut ſolet, inſtructum, eo

nitore

nitore & eâ elegantiâ, ut Thomæ Erpenii, aut Elzevirii potiùs, pulcherrimos characteres propemodum æquent; & Apographum Arabicum *Geographiæ Nubienſis*, quam editam nanciſci non potuerat. Nec minùs eleganter characteres Græcos pingebat, ut apparet ex Apographo ejus *Epiſtolarum* ineditarum Libanii, in quo omnia ſcriptionis compendia, quæ erant in Autographo, graphicè planè expreſſit. Quin & frater ejus, noſtri Pater, cùm indigeret Hephæstionis Alexandrini *Enchiridio de Metris & Poëmatibus*, nec poſſet pretio nanciſci, manu ſuâ etiam exſcripſit. Hinc intelligas licet eum, de quo agimus, non fuiſſe primum in ea familia, qui laborem ferre poſſet, & ingenii ſpecimina edidiſſet.

Anno MDCLXXXIV. extremo, cùm vir eruditus, qui nunc fato functus

tus eſt, CAROLUS LE CENE, edendos ad eum miſiſſet *Dialogos* quoſdam *Theologicos* Gallico ſermone, cùmque tenuius eſſet volumen; CLERICUS alteram partem *Dialogorum* adjecit, quæ conſtat etiam quinque Dialogis. In tribus primis, quærit CLERICUS, *quàm latè pateant notiones noſtræ Metaphyſicæ, & quis ſit earum uſus in Religione.* Dicuntur hìc *Metaphyſicæ notiones* generalia quædam de rebus incorporeis, & ut loquuntur Philoſophi, abſtractis principia; quorum ope ex iis *Dialogis* ſæpiſſimè obſcuratam fuiſſe liquet Theologiam, dum ſtatuunt Theologi ſibi nota eſſe, quæ reverâ ignorant. Putat ergo CLERICUS facultatibus à Deo acceptis non eſſe utendum, niſi intra limites à Deo iis præſtitutos, ſi modò nolimus in errores innumeros incidere. Ut ſenſus accepimus, non ut eorum uſu internam re-

rerum naturam, quæ eos fugit, cognóſcamus, ſed eatenus tantùm, ut iis ad vitæ conſervationem uti queamus: ita nec Metaphyſicæ notiones ulteriùs patent, quàm quatenus opus eſt, ut Deo pareamus & ad ſummum bonum perveniamus. Si extra hos fines vagari incipiamus, in certiſſimum erroris periculum ſponte noſtrâ nos conjicimus. In hac ſententia ſe mirè poſtea confirmatum ſenſit, anno MDCLXXXVIII. cùm legiſſet viri acutiſſimi JOAN. LOCKII *Specimen de Intellectu Humano*, quod nondum erat editum; ubi ſubſtantias rerum ignotas, ſolas proprietates, quæ in ſenſus incurrunt, nobis notas eſſe egregiè oſtendit. Quarto etiam *Dialogo* demonſtravit CLERICUS, pluribus exemplis, quantopere Scriptura Sacra abuterentur Metaphyſici nonnulli, dum placita ſua ejus dictis confirmare fruſtra

co-

conantur, cùm Scriptores Sacri nihil umquam ſimile cogitarint. Eò tota res ſpectat, ut conſtet nihil eſſe tutius; quàm ſi in Revelatione ſola adquieſcamus, neque velimus ratiocinationibus Metaphyſicis, remotioribúſque conſectariis clariùs divinam naturam, aliáque ejuſmodi cognoſcere, quàm ſunt à Deo revelata.

In Quinto *Dialogo*, proponitur HENR. HAMMONDI *Paraphraſis in Capp. IX, X. & XI. Epiſtolæ ad Romanos*, ubi doctiſſimus ille Theologus Anglus non de decretis, quibus ſinguli homines ad ſalutem aut ad exitium æternum prædeſtinati ſint, ſed de vocatione populorum ad cognitionem Dei agi contendit. Qua in re, SIM. EPISCOPIUM eſt ſequutus, ſed & nonnulla addidit, quæ digna ſunt, quæ ab iis, quibus ea Capita PAULI intelligere curæ eſt, diligenter expen-

pendantur. Hoc quoque Opuſculum Clerici non ſatis emendatè in lucem, propter inertiam Typothetæ, prodiit; amici tamen primum illum ejus ingenii Gallicum fœtum, cùm ad res ipſas quod adtinet, tum etiam quoad ſtylum, & totam ſcribendi rationem, non improbarunt, tirociniúmque hoc ejus veteranorum multorum ſcriptis æquiparandum duxerunt.

Cùm Clericus Salmurii eſſet, ſecundóque Ligeri Andegavum viſiſſet, emit in Bibliopolio Ricardi Simonii *Hiſtoriam Criticam Veteris Teſtamenti*, quæ tunc temporis Pariſiis vetita fuerat, ſed recuſa erat Amſtelodami apud *Elzevirium*, & cum aliis mercibus Andegavum miſſa fuerat. Magnos rumores excitaverat ille liber, atque à Clerico lectus in itinere, quod brevi poſtea, Salmurio Lugdunum petens, fecit. Jam tum vi-

dit multa poſſe SIMONIO objici, multa addi; quæ in lucem publicam emitti non inutile, neque injucundum foret. Sed rem diſtulit ad tempus, quo otio magis abundaret, librisque neceſſariis inſtructus, rem ſtudioſiùs ad examen revocare poſſet.

Igitur cùm ſedes Amſtelodami fixiſſet, & commodùm prodiiſſet eodem tempore Roterodami nova & accuratior *Hiſtoriæ Criticæ* Editio, legere iterum eam adgreſſus eſt, & conſcribere Gallicum libellum, cui titulum fecit: *Judicia nonnullorum Theologorum Hollandorum de* RIC. SIMONII *Hiſtoria Critica*, qui anno MDCLXXXV. prodiit, & hoc anno MDCCXI. iterum, additâ novâ præfatiunculâ, lucem adſpexit. Viginti Epiſtolis quidquid cùm Amici, tum ipſe, in eo libro reprehenſione digna putabant, complexus eſt. SIMONIUS, in *Hiſtoria Critica*, multa

multa acerbè & contumeliosè in Proteſtantes quoſvis effuderat, multas inanes de Scriptoribus ſacris conjecturas propoſuerat, multa etiam aliis in rebus deliquiſſe, videbatur; quæ eò minùs erant ferenda, quòd acerbâ cenſurâ omnis generis Scriptores vexaret. Itaque Clericus eum paullò liberiùs ſibi confutandum eſſe cenſuit, ſimúlque multa, quæ faciebant ad argumenti ullius illuſtrationem, congeſſit. Simonius is fuit, quem ſolum Clericus, ex quo Scriptis innotuit, prior adgreſſus ſit; ceterorum omnium tela in ſe conjecta tantùm propulſavit, nec iis, niſi provocatus, repoſuit. Verùm in eo opere, non ſemper ſententias, quas ratas & fixas habere vellet, ſed alienas etiam, ut Amicorum de Hiſtoria Critica colloquentium, conjecturas in medium protulit. Sic quod dixit de conjectura quâ *Pentateuchus* ſcrip-

tus cenſebatur à Sacerdote Iſraëlita, Dei quidem veri timente, ſed ad Samaritas Babylone miſſo, numquam ſibi defendendum putavit, quamvis *Simonianis* conjecturis veriſimilius eſſet. Sed nec quod nonnulli ſcripſerunt in Diſſertationem *de Inſpiratione Scriptorum Sacrorum*, quam Diſſertationem inſeruerat Epiſtolis XI. & XII. ad ſe pertinere deinde putavit. Hac in re, ἀδιαφορίαν, ut ſic dicam, induit, quâ Veritati, undecumque adfulgeret, excipiendæ æquo animo paratum ſe eſſe oſtendit. Ac ſanè, quod eximius Philoſophus Joan. Lockius nuper rectè dixit, ἀδιαφορεῖν nos, quod adtinet ad locum unde illuceſcit Veritas, hujuſque ſolius amore capi, ſi vel ab inimicis, adverſariiſque veniat, oportet. Noſtrâ tantùm intereſt non errare, nihil intereſt quem Veritatis doctorem habeamus. Quædam

dam alia, hanc in rem, dixit ipſe CLERICUS ad calcem I. Voluminis *Parrhaſianorum*, & in Præfatione ſecundæ Editionis *Judiciorum N. Holl. Theologor.* quæ legiſſe fortè non pœnitebit.

SIMONIUS quàm primùm ſibi reſpondendum eſſe cùm judicaſſet, acerbiſſimam *Reſponſionem*, prò more ſuo, ſed non admodum eruditam, aut quæ judicii ſubacti fœtus videri poſſet, emiſit, quæ Roterodami edita eſt. CLERICUS, ut oſtenderet adverſarii iniquitatem, ſimúlque quàm procul à Vero abeſſet, anno MDCLXXXVI. ſeptemdecim Epiſtolis Operis ſui *Defenſionem* ſuſcepit; quæ hominem irritabilem ita pupugit, ut iterum contumelioſo Libello adfectum potiùs ſuum proderet, quàm quidquam, quod peritis ſatisfacere poſſet, diceret. Itaque CLERICUS nihil ampliùs reponendum ſibi eſſe putavit,

tavit, totiúſque diſceptationis peritis hominibus judicium permiſit. Quinimò, & quoſdam alios, qui in ſe, non minùs ac in SIMONIUM, inſurrexerunt, non aliter, quàm breviter & ſtrictim, in *Bibliotheca Univerſali*, de qua mox dicam, confutavit. Legant Lectores quod hac de re, in *Parrhaſianis*, ipſe ſcripſit.

Eodem anno MDCLXXXVI. prodire cœpit *Bibliotheca Univerſalis*, Gallico ſermone, cujus maximam partem conſcripſit ad Volumem XIX. In eo Opere, ad inſtar aliarum *Ephemeridum*, quæ *Lutetiæ*, *Lipſiæ*, & *Roterodami*, à viris eruditis edebantur, & cupidè ab omnibus lectitabantur, adgreſſus eſt de libris, qui quotidie Latinâ, Gallicâ, Anglicâ, Italicâ, & Belgicâ Linguis edebantur, non quidem ſemper quid videretur dicere, quod invidioſum ſæpe fuiſſet, ſed quid iis continere-

tur

tur fideliter exponere. Opus fuit magni laboris, nam ut eorum librorum, quorum argumentum cognitu dignum videbatur, epitomæ fierent, tempore non exiguo, & ſumma adtentione opus fuit. Quæcumque enim bona & utilia ſunt, non ideò perſpicuè ſcripta ſunt, & commodo ordine digeſta; nec interdum ut bene percepta mens Scriptoris, ſed inverſo ordine prolata, recto proponatur, iiſque verbis veſtiatur, quæ & obſcuritate careant, & legentem alliciant, parum ſudandum eſt. Quam moleſtiam ii demum intelligant, ut par eſt, qui aliquando ſimile quiddam tentaverint; non blaterones, qui nihil ordine recto umquam ſcripſerunt, quorúmve tota eruditio indigeſta in vocibus, conſuetudinibus, opinionibus, quas nec bene norunt, nec viâ ullâ certâ & ratione proferre poſſent, ſita eſt.

Sed & interdum judicandum eſt, cùm Reipublicæ Litterariæ intereſt ineptos, ac maledicos Scripres, aut quibus, quippe jam fato functis, judicia nocere non poſſunt, nec rixas excitare, quales re verâ ſunt; Lectoribus deſcribi. In hiſce arte tractandis, & ita pingendis, ut Lectores intelligant quid velis, nec inhumanitatis tamen, aut malignitatis ullius poſſis inſimulari, non vulgari acumine & facultate ſcribendi inſtructum te eſſe oportet. Quod, ne de Clerico quidquam dicam, interdum in *Ephemeridibus Pariſienſibus* cernere eſt, ex quo in meliorem formam redactæ ſunt; ut ab iis qui Gallicè ſciunt, nec naſo ſunt deſtituti, ſumma cum voluptate legantur; nec niſi à bardis, aut ſtupidis hominibus, qui nec eas intelligunt, nec ſimilia ſcribere poſſint, ſperni queant. Patiantur etiam, qui putido

putido neſcio quo faſtidio recentia omnia ſpernunt, me dicere in ejuſmodi ratione ſcribendi, non minùs elucere ingenii, & acuminis, quàm in iis quæ à Veteribus ſcripta ſunt; nec minore cum fructu legi ab iis, qui non cum mortuis tantùm, ſed & cum vivis verſari & loqui volunt. Itaque elegantioris ingenii homines omnes hæc in deliciis, ringentibus licet rancidis neſcio quibus etiam eorum, quæ in Antiquitate vituperanda ſunt, admiratoribus, habent. Huc accedit quòd Clericus non tantùm ab aliis dicta proferre, ſed & ſubinde, prout videretur, confirmare, aut etiam quàm leniſſimè confutare ſtatuiſſet. Quod ſubinde factum eſt, nec fieri potuit, ſine rei ipſius cognitione, adtentione & diligentia. Sed & Opus hoc ſuum ornare voluit, non alienis modò inventis, candidè expoſitis,

confirmatiſque, aut interdum emendatis, ſed etiam ſuis. *Diſſertationes* aliquot ſuas, *Virorum eximiorum* Vitas adcuratiùs deſcriptas, aliáſve *Hiſtorias* inſeruit. Quin & aliorum inedita quædam antea ſcripta, & quæ alibi numquam poſtea lucem viderunt, illic leguntur. In Volumine I. invenire licet *Fabularis Hiſtoriæ* ſpecimen, in quo *iter Argonautarum*, & Herculis *facta* ad Veræ Hiſtoriæ fidem revocantur. Idem Volumine III. ad Hiſtoriam Adonidis, & Volumine VI. ad Hiſtoriam Cereris quod adtinet, factum eſt. E lingua Phœnicia, reique circumſtantiis multa ſunt inventa, ex quibus conſtat antiquas fabulas, exceptis quibuſdam apertis Poëtarum figmentis, eſſe vetuſtiſſimas primorum Græciæ colonorum res geſtas; quæ cùm nullis ſcriptis, ſed memoriâ tantùm hominum

minum conſervarentur, aut è Lingua Phœnicia non ſatis intellecta in Græcam perperam transferrentur, paullatim ita corruptæ fuerant, ut fictæ omnes viderentur. Multa quidem hac de re SAM. BOCHARTUS præclarè invenerat, quæ ſalivam CLERICO moviſſe videntur; ſed inventis plura multò addidit, cùm in Opuſculis hiſce *Bibliothecæ Univerſali* inſertis, tum etiam in notis ad HESIODI *Theogoniam*. Sed & præter hæc, exſtant ejuſdem *Bibliothecæ* Volumine IX. *Specimen de Poëtica Hebræorum*, ubi verſibus ſimiliter deſinentibus conſtitiſſe eam contendit; X. *Vita* EUSEBII CÆSARIENSIS; XII. CYPRIANI & PRUDENTII, & XVIII. GREGORII NAZIANZENI, quæ quanto labore conſtiterint; & quàm non ſit uniuscujuſque talia ſcribere norunt, non Grammatiſtæ quidem Latini, vocum, lo-

quendi modorum & ejuſmodi tantùm quiſquiliarum collectores ; ſed qui ſublimiora ſtudia coluerunt, quique leges Hiſtoriæ ſciunt. Idem dixero de *Commentariis ad* Hiſtoriam *Janſenianam* pertinentibus, qui leguntur Volumine XIV. aliiſque, ſive CLERICI ſint, ſive aliorum, quæ alibi nuſquam exſtant. Plura de hoc Opere non dicam, de quo & nonnulla alia ad calcem Tomi I. *Parrhaſianorum* Scriptor ipſe dixit, quæ non repetam.

Dum Operi *Bibliothecæ Univerſalis* incumberet, prælectiones ſuas Philoſophicas ſemper habuerat, & non unum Scriptorem interpretatus erat. Sed cùm neminem inveniret, cum quo de omnibus idem ſentiret, aut quem putaret ſat perſpicuè, aut ſat commodè egiſſe de omnibus, quæ Philoſophiæ ſtudioſos intereſt ſcire, ut teſtatur ipſe in

Præ-

Præfatione *Logicæ;* animum etiam noſter ad ſcribendum hac de re adpulit; ut Syntagma proprium haberet, quod Diſcipulis interpretaretur. Scripſit ergo *Logicam*, *Ontologiam* & *Pneumatologiam*, quæ editæ ſunt primùm anno MDCXCII. Amſtelodami, & *Logicam* quidem viro ſummo ROBERTO BOYLEO conſecravit, ſed qui fato functus eſt, antequàm hoc exemplar ad manus ejus perveniret; cetera verò duo Opuſcula viro item acutiſſimo JOANNI LOCKIO, cui poſtea hæc tria inſcripſit anno XCVII. cùm iterum ederentur.

Proferam hîc nonnulla ex dedicatione ad ROB. BOYLEUM, ex quibus liquebit, quò ultimùm hæc CLERICI *Logica* ſpectaret. Poſtquàm ergo nobilem Philoſophum, ab eruditione philoſophica meritò laudaſſet, „ut hiſce laudibus, in„quiebat, DEMOCRITUM, quem

„ ætatem in experimentis triviſſe „ aiunt, multùm ſuperaſti: fructum, qui ex ejuſmodi enaſcitur „ contemplationibus, judice EPICTETO, præ ceteris Sapientiæ cultoribus, collegiſti uberrimum; „ qui intellexiſti, ut edito aureo libello (*de Cauſis Finalibus*) palam „ ſignificaſti, ὅτι Φιλοσόφȣς εἰ νȣ̃ν εἶχον, „ ut eximii Philoſophi verbis „ utar, ȣ̓δὲν ἄλλο ἔδει ποιεῖν καὶ κοινῇ καὶ „ ἰδίᾳ, ἢ ὑμνεῖν τὸ Θεῖον, καὶ εὐφημεῖν καὶ „ ἐπεξέρχεσθαι τὰς χάριτας, &c.

„ Addam hîc, quamvis remota „ vulgo à pietatis doctrina videatur „ *Logica*, exactas ad ejus acccuratiſſimos Canones ratiocinationes, „ ut pluribus exemplis oſtendi, „ rectà ad maximi momenti dogmata ducere. Gravem profectò „ injuriam Religioni Chriſtianæ „ faciunt non mali quidem homines, ſed parum in ea verſati; qui, „ ubi de ea ferendum eſt judicium,

„ Ra-

„ Rationem audiendam negant.
„ Hoc potiſſimùm pacto incredu-
„ lorum ingeniis immeritò ſuſpec-
„ ta facta eſt. Dum enim in aliis
„ omnibus Ratione, ſine qua per-
„ petuò fallerentur, ſibi uti lice-
„ re; ſed, ubi de Religione ſermo
„ eſt, adfirmantibus Magiſtris cre-
„ dendum audiunt, fallaciæ aliquid
„ latere continuò ſuſpicantur. Nec
„ fortaſſe ſemper fallerentur, ſi
„ fraudem haud ſatis peritis Chriſ-
„ tianæ Doctrinæ Interpretibus ali-
„ quam tribuerent, modò ab ho-
„ rum cauſa Religionis ipſius cau-
„ ſam ſecernerent. Nos meliora
„ de Evangelio ſentimus, & omnia
„ ejus dogmata ad rigidiſſimas rec-
„ tæ rationis leges, ſine periculo,
„ exigi poſſe cenſemus. Si quid
„ Rationem ſuperat, ſeu extra
„ ejus fines ſitum eſt; ipſa per ſe
„ tacet, nec judicium de iis, quæ
„ non adſequitur, ferre ſuſtinet.
„ Hæc

„Hæc & plura alia nos ita hîc oſ-
„tendiſſe ſperamus, ut nullus ſit
„dubitationi relictus locus.„ CLERICUS, nimirum, tum demum Philoſophicam eruditionem, ut reliquam omnem, magni faciebat, cùm ejus ſtudioſos ad rectè de Deo ſentiendum, & Virtutem colendam perducebat; alioqui flocci faciebat. Hinc multis exemplis è Theologia, perperam intellecta, deſumtis, ſophiſmatum & errorum fontes demonſtravit; quod & ipſe, in Præfatione *Logicæ*, profitetur.

Alienis quidem laboribus uſus eſt, in hoc concinnando Opere, quod cùm in Dedicatione ad LOCKIUM, tum etiam in *Logicæ* Præfatione, non diſſimulat. Sed de ſuo diſpoſitionem totius Operis, & multa alia, prioribus intacta, ſparſim habet; qualis eſt *Methodus* diſceptandi *Socratica*, quâ clauditur *Logica*; ad quam poſtea acceſſit,

ſit, in ſecunda editione, Diſſertatio *de Argumento Theologico ab Invidia ducto*, quæ anno MDCCVII. addita eſt.

Ad *Ontologiam* & *Pneumatologiam* quod adtinet, eæ partim petitæ ſunt ex iis quæ antea de Ente in genere ſpectato, déque Spirituum natura ab aliis ſcripta fuerant; partim etiam Meditationibus ipſius Scriptoris debentur, qui multa aliter dici oportere exiſtimavit, ſuiſque omnia argumentis confirmavit. Itaque ſunt hîc nonnulla è Scholaſtica Philoſophia, de Ente in genere, depromta; quibus neceſſe fuit ſtudioſorum ingenia inſtrui, cùm ut ipſorum Theologorum ſermonem intelligere poſſent, tum etiam ut æternæ veritatis axiomatibus, quæ traduntur à Metaphyſicis, uti ad alia majoris momenti ſenſim diſcerent. In *Pneumatologia* plura ſunt, quæ Recentiorum

tiorum induſtriâ inventa fuerant, & à CLERICO illuſtrata, amplificata, & confirmata ſunt; non ſine aliter ſentientium confutatione, & præſertim RENATI CARTESII. Quare miror eſſe, qui velint hìc CLERICUM magis cum CARTESIO ſentire, quàm alibi; cùm reverâ nuſquam frequentiùs ab eo diſſentiat. Exempli cauſâ, à CARTESIO diverſus abit, *Ontologiæ* Cap. IV. in eo quòd CARTESIUS putavit rerum eſſentias à Deo potuiſſe mutari; Cap. X. de eo quod cenſebat in effectu eſſe, quod non fuiſſet in Cauſa; Cap. XI. de eo quod contendebat fines Dei nobis eſſe ignotos, neque ex iis fas eſſe ratiocinari; Cap. XIII. de contingentia, quam CARTESIANI ferè tollunt; Cap. XIV. de poſſibili & impoſſibili, quæ ex mero arbitrio divino pendere putabat CARTESIUS, cùm repu-

pugnantia à Deo fieri poſſe doceret; Cap. XVI. de perfecti & imperfecti notione; Cap. XVIII. de Entium in genera diviſione, aliiſque de rebus, multis in locis, licet rarò CARTESIUS nomine adpelletur. Sic & in *Pneumatologia*, quæ de natura Mentis nobis ignota dicuntur Sect. I. planè ſunt CARTESIANIS decretis contraria; ut & multa, quæ Sect. III. habentur de Dei natura, déque ejus Intellectu, Concurſu, & Omnipotentia. Itaque non erat cur vir doctus hîc CLERICUM CARTESIO magis favere, quàm alibi, putaret.

In ſecunda Editione, quæ prodiit anno MDCXCVII. *Operum ſuorum Philoſophicornm* adjungi curavit noſter libellum viri doctiſſimi THOMÆ STANLEII, quo *Philoſophiæ Orientalium Hiſtoriam* complexus eſt, quam anno

MDCXC.

MDCXC. ex Anglica Lingua verterat, & ſeorſim ediderat, notiſque ac Indice Philologico inſtruxerat; quamvis hanc partem Diſcipulis non ſoleat interpretari. Intererat Hiſtoriæ Philoſophicæ amantium opuſculum egregium, nimis exiguâ mole, non perire. Hinc quoque liquebat quantopere à vero abfuiſſent antiquiſſimi Philoſophi, & in quos maximas laudes congeſſerunt ipſi Græci; quamquam per omnia non errarunt.

Anno MDCXCV. edidit CLERICUS *Phyſicam* ſeorſim, quæ, in duabus ſequentibus Editionibus, III. & IV. Tomum *Operum Philoſophicorum* confecit. Nihil opus eſt me addere hîc poſteriores Editiones, ad res ipſas, & ad ſtylum quod adtinet, fuiſſe magis ac magis emendatas. Ita enim ſemper ſtatuit CLERICUS, nihil magis de-

de-

decere Philoſophum, quam pertinaciam, aut ſtyli obſcuritatem. Itaque ſi quid novi didicit ab aliis, continuò emendavit quæ ſecus quàm oportebat dicta videbantur, vel ſua inde auxit; ſi quid minùs rectè expreſſum fuerat, id meliùs exprimere conatus eſt. Qua in re perſpicuitatem potiſſimùm ſpectavit, nec ſtyli elegantiam captavit; niſi quia veterum Latinorum conſtans ac certa dictio Scholaſticâ incertâ ac variâ, proximè prætoritorum ſæculorum, multò clarior eſt. Ceteroqui voces omnes & loquutiones uſu conſecratas adhibuit, nec mutandas cenſuit; cùm nullæ aliæ æquè perſpicuæ, in antiquiore Lingua Latina, eſſent.

De rebus ipſis nihil addam, quæ ſat ex quatuor Batavis editionibus, Anglicáque & Germanica, notæ ſunt. Quarta Batava, quæ prodiit anno MDCCX. omnium eſt optima

tima & ad rem ipſam quod ſpectat, ampliſſima & emendatiſſima; quamvis non deſint, quibuſdam in locis, menda typographica, quæ moroſis & invidis carpenda, candidis & æquis Lectoribus emendanda permittit CLERICUS. In tertia & in quarta Editionibus, præfixa eſt Præfatio, in qua noſter virorum quorumdam doctorum, qui volebant *Mathematicas* Diſciplinas *Logicæ* loco eſſe oportere, nec *Logica* ulla opus eſſe, confutavit. Ac ſanè quiſquis *Mathematicorum* Hiſtoriam novit, ſatis animadvertit in *Mathematicis* quidem eos rectè ratiocinatos, ſed in aliis æquè turpiter, ac alios quoſlibet, lapſos eſſe, & labi. Quare planè cenſet non ſatis rectè eos *Philoſophiam* docere, qui Logicam prætermittunt; quod quiſquis ejus *Logicam* legerit, facilè vero verius eſſe intelliget.

Non

Non diffiteor non exiguam *Logicæ* regularum partem, totámque ejus Methodum, ſeu Sectionem III. è *Mathematicorum* rationibus & præceptis eſſe petitas; ſed ſunt eæ ad alias res tranſlatæ, in quibus earum uſus ita eſt demonſtratus, ut nemo non iis, quæ à Clerico dicta ſunt, ſit adſenſus, & multi mathematicè etiam, ut ſic loquar, quoad ejus fieri potuit, ſint in argumentis minimè mathematicis poſtea ratiocinati. Novi qui propterea ei gratias habuerint ac egerint, quod ſe ordine ac viâ ratiocinari docuiſſet. Nec defuerunt præſtantes viri, in Germania præſertim, & docti ac celebres Juriſconſulti, qui Diſcipulis ſuis eam ratiocinandi methodum ſummopere commendarint; nec cauſas ſatis rectè, ſine ejuſmodi ordine, agi poſſe palam profeſſi ſint.

Video

Video quoſdam, ex eadem Gente, dicere hæc CLERICI Scripta apud eam haberi quaſi uberiorem explicationem *Eclecticæ Philoſophiæ*, quam in ſcriptis ſuis doctiſſimus Philologus & Theologus JOAN. FRANCISCUS BUDDEUS ſequutus eſt. Attamen CLERICI hæc opuſcula priùs in lucem edita ſunt, quàm *Eclectica* Cl. Viri *Philoſophia* in lucem prodiret. Ideóque non ſatis adcuratè loquuntur, qui ita, ùt dixi, loqui ſolent; explicari enim à CLERICO non poterânt, quæ nondum viderat. Sed numquam ægrè tulit ſua aliis profuiſſe, quæ eum tantùm in finem ab ipſo elaborata, & publicata fuerant, ut quàm plurimis uſui eſſent. Veritas hîc ſola ſpectanda, non quis eam prior, aut poſterior docuerit; nec gloriam, ſed utilitatem legentium quærere omnes oportet, quæ ſi qua è Scrip-
tis

tis eruditorum virorum capiatur, eſt cur gaudeant ac ſibi gratulentur.

Interea aliis occupato CLERICO impoſitum eſt novum, & moleſtum onus, à nonnullis, Bibliopolis, quorum precibus noluit hoc negare; nimirum, ut LUDOVICI MORERII *Dictionarium Hiſtoricum* recenſeret. Ejus prodierat quinta Editio Lutetiæ, anno MDCLXXXVIII. quæ ſcatebat mendis, nec potuiſſet in eam formam redigi, quâ Eruditis ſatisfaceret, niſi tota à capite ad calcem refingeretur. Nec otium CLERICI, nec ejus ſtudia graviora ullo modo patiebantur eum tale quidquam adgredi; nec ſinebant quoque rationes Bibliopolarum, qui nec Libros eam in rem neceſſarios ſuppeditare, nec tempus ſat longum concedere, nec ſumtus facere ſat magnos poterant, ut res ad perfectio-

nem, aut ſtatum perfectioni proximum deduci poſſet. Itaque ſatis habuit aliquot millia errorum emendare, quæ properè legenti ſe ſe objecerunt; eámque recenſionem ter poſtea repetivit, ad nonam uſque Editionem, quæ prodiit anno MDCCII. Ea de re egit, in Præfationibus *Moreriano Dictionario* præmiſſis, in Admonitione inſerta *Reipublicæ Litterariæ Novellis*, & quidem Menſi Februario anni MDCC. ac tandem ad calcem *Parrhaſianorum* Tomi I. Optandum quidem eſſet virum induſtrium, eruditum, facundum, Veritatis amantem & liberum, eumdémque otio abundantem & Libris inſtructum, *Dictionario* ejuſmodi conſcribendo operam dare. Non exigua inde utilitas ad omnes redundaret, cùm videamus tantâ aviditate ab omnibus ejuſmodi Libros emi, ut narrent Bibliopolæ
præter

præter Gallicas Editiones, fuiſſe *Moreriani Dictionarii*, in Hollandia editi, propemodum decem millia exemplarium, intra hoſce viginti annos, vendita; ad quæ accedant præterea oportet Anglica & Germanica ejuſdem Operis verſiones ac interpolationes. Non poſſet bonum Opus, & in quo omnia ad Veritatem, Religionem, ac Virtutem ſtatuminandas ſpectarent à tam multis teri, ſine magno legentium fructu. Quidni enim, ut nocuit *Bælianum Dictionarium*, ad eas evertendas comparatum: ſic prodeſſe poſſet *Lexicon*, cujus eſſet contrarium prorſus inſtitutum? Neque enim tum malè agi cum humano genere putem, ut, ſi rectiùs plerumque doceretur, ad meliorem frugem redire non poſſet. Culpam quidem diſcentium non mediocrem eſſe exiſtimo, ſed non minor docentium eſſe deprehende-

 retur,

retur, ſi res ſeriò expenderetur. Rari ſunt ſermones, cum recta Ratione per omnia conſentientes; rari Libri, qui ad Veritatem & Virtutem rectâ viâ homines deducant; contrà frequentes & confabulationes & Libri, quibus ad contraria omnia alliciuntur. Sed querelæ hæ ſunt, quibus numquam, ut puto, ſatisfiet.

Jam dudum CLERICUS animo conceperat Opus, quod in *Vetus Teſtamentum* facere adgreſſus eſt, & ab anno quidem XC. præteriti ſæculi, ABDIAM Prophetam, uno folio in 4. cum *Paraphraſi* & *Commentario* ediderat. Quo ſpecimine effectum eſt, ut hoc ei opus mandaretur, quo in totum *Vetus Teſtamentum* præſtaret, quod in ABDIAM fecerat. Rem ergo ſeriò adgreſſus triennio pòſt, anno MDCXCIII. *Geneſin* eo modo adornatam, cum nonnullis *Diſſertationibus*

nibus Criticis, publici juris fecit, quæ anno præterito MDCCX. recuſa eſt. Mox etiam anno MDCXCV. prodierunt quatuor reliqui MOSIS libri, qui & iterum ſunt editi. De iis non eſt, cur hîc plura dicam, cùm Scriptor ipſe luculentè de iis Vol. XXI. *Bibliothecæ Selectæ* egerit.

Dum autem excuderetur *Deuteronomium*, occaſione datâ, ſcripſit & edidit CLERICUS in 8. *Paraphraſin & Notas in Evangelii* JOANNIS *initium*; ubi ita eum locum enarravit, ut UNITARIORUM interpretationem prorſus everterit. Edita etiam eſt formâ majore & *Pentateucho* conjuncta, ſed in poſteriore Editione omiſſa, ut aptiore loco, collocetur, cùm *Adnotationes* HAMMONDI *in N.T.* de quibus poſteà dicam, recudentur, quod propediem futurum audio. Vel hoc ſolo libello conſtare po-

tuit Scriptorem minimè eſſe in ſententia UNITARIORUM; quod & ſæpe aliàs teſtatus eſt, propter adverſariorum calumnias, quibus occurrere neceſſe habuit. Quàm primùm enim Societatem REMONSTRANTIUM ingreſſus eſt, & Scriptis nonnihil innoteſcere cœpit; fuere homines, qui hoc ſibi negotii datum eſſe putarunt, ut naſcentem famam eadem invidiâ, quâ REMONSTRANTES vulgò infamare conantur, obruerent, & SOCINIANISMI nomine quidquid moliebatur, ad Theologiam quod adtinet, ſuſpectum facerent atque inquinarent. Sic CHRISTIANI CHRISTIANOS hodie habent, quemadmodum olim ETHNICI CHRISTIANOS; quibus cùm non ſat magnam invidiam facere poſſent, prolatis iis, quæ à ſe credi CHRISTIANI ipſi profitebantur, etiam *Atheïſmum* inſontibus objiciebant;

ciebant; nec calumniam atrociſſimam confutantes audiebant, ſed, repetitione ejus indefeſſâ, pondus mendacio addere conabantur. Fuerunt qui ſcriberent in CLERICI memoratum libellum, de quibus paucis, ad calcem Tomi I. *Parrhaſianorum*, egit, nec ego plura addere conſtitui.

Prodiit ab ejus manu, ſub finem anni MDCXCVI. *Ars Critica*, duobus voluminibus in 8. quorum prius in gratiam ſtudioſorum conſcripſerat, poſtquàm aliquamdiu id opus animo agitaſſet; cujus etiam ſpecimina nonnulla cum Republica Litteraria, Tomo X. *Bibliothecæ Univerſalis*, communicarat. Hoc verò anno abſolvit quod cœperat, & volumen alterum priori addidit, ut totam illam Artem iis complecteretur. Mox cùm Londini hoc Opus fuiſſet ad exemplar Amſtelodamenſe excuſum, iterum Amſ-

telodami, & quidem adcuratiùs ac emendatiùs, anno MDCC. eſt emiſſum, unà cum tertio Volumine, de quo poſtea dicam.

Scripſerant quidem nonnulli de *Arte Critica*, ut JOAN. WOWERIUS, in libro *de Polymathia*, FRANC. ROBORTELLUS & GASP. SCIOPPIUS in ſingularibus Opuſculis. HENR. etiam STEPHANUS Diſſertationem de *Criticis* dudum emiſerat. Sed nemo unus, cùm tot fuerint Critici, plenam totius rei imaginem exprimere, integramque Artem viâ atque ordine tradere, quod equidem norim, adgreſſus erat, ante noſtrum; cui neque WOWERIUS, neque STEPHANUS, cùm primùm hac de re ſcriberet, ſuppetebant. Itaque, ſi pauca excipias, ædificium hoc totum ex ipſis fundamentis ei excitandum ac conſtruendum fuit. Itaque animo priùs conceptâ totius

tius rei imagine, quid compleċteretur vidit, ſinguláſque ejus partes ſuo loco, quàm commodiſſimè potuit, collocavit. Tum rem exſequutus eſt, eo modo, qui ex ipſa leċtione Libri cognoſci poterit ab iis, qui nondum legerunt. Sed & paucis verbis, in aliorum gratiam, hîc dicam. Poſtquàm ergo Artem definivit, diviſionémque ejus & uſum oſtendit, Adoleſcentes docet quo ordine videantur inſtituenda Linguarum Latinæ, Græcæ & Hebraïcæ ſtudia. Inde tradit Regulas quaſdam generales, quæ ad interpretationem omnium vocum & loquendi generum pertinent; ubi multa univerſæ Antiquitatis Sacræ & Profanæ loca, multa memoratarum Linguarum idiomata explicantur. Poſtea voces & loquutiones particulatim expendit, pro generibus ad quæ revocari poſſunt, quantaque ſit in

iis intelligendis difficultas, & quatenus poſſit ſuperari docet. Hiſce conſtat primum Volumen, alterum verò totum in origine mendorum, & ratione eorum tollendorum; tum etiam in arte ſecernendi loca & ſcripta ſpuria à genuinis; ac tandem in modo de ſtylo & charactere Scriptoris judicii ferendi, quod exemplo CURTII illuſtrat CLERICUS, verſatur. In hiſce omnibus, non tantùm multa ſunt ad Humaniores Litteras pertinentia, ſed & multa è Philoſophiæ, Theologiæque interioribus adytis petita; ex quibus liquet quàm latè pateat Ars Critica, nec tantùm quantopere iis diſciplinis proſit, ſed quam etiam lucem ei fœnerari viciſſim queant. In hoc Opere comiter & humaniter, ut ſolebat, loquutus eſt CLERICUS de Viris eruditis, cùm vivis, tum mortuis, à quibus Litteræ omnis generis

generis illuſtratæ ſunt, eóſque etiam laudavit, à quibus laudari ipſe nollet. Sed quia rem eo modo ornavit, quo non poſſent meri Grammatici, liberéque ſententiam dixit multis de rebus, de quibus aliter ſentiunt, aliiſque quæ ſupra eorum captum ſunt, & hominum elegantiorum judiciique ſincerioris & ſubtilioris ſuffragia tulit; Grammaticorum aliquot invidiam ita in ſe concitavit, ut cum eo internecinum bellum gerendum ſibi ab eo tempore ſuſceperint, & pro gratiarum actionibus, quas homini debebant, convicia reddiderint. Sed quid faceret? Ut ſibi benevolentiam Theologorum & Criticorum, à quibus acerbiſſimis Scriptis eſt impetitus, oportebat ut partibus adhæreret, quæ magnitudine & ſplendore conſpicuæ ſunt; ut nihil ſcriberet, præter laudes eorum, qui præter jus & fas ei indi-

gnantur ; nec quidquam alicujus pretii præſtaret, & quod à viris ſubactioris judicii legi poſſet ; tum verò iis fortè placuiſſet, nec tamen omnibus, à quibus tot conviciis eſt impetitus. Sed Veritati & Virtuti, ſed juvandi omni ſtudio, fuiſſet ei æternùm valedicendum, ut factioſam & obnoxiam adulatoris vitam ageret ; quod nec ipſe à ſe factum optet, nec quiſquam bonus, niſi fallor, velit.

Prodiit ſecundùm, eodem anno MDCXCVI. hiſtoricum opus anonymum, Gallicâ Linguâ ſcriptum, de *Vita Joan. Armandi Cardinalis Ducis Richelii*, duobus voluminibus in 8. quod Clerico eſt adtributum ; qui ut gravioribus ſtudiis animum defeſſum recrearet, à Theologicis, Latiniſque laboribus ad Hiſtoricam hanc, Gallicámque lucubrationem veluti diverterit. Qui opus ipſum legent, facilè

cilè videbunt nihil in eo gratiæ, vel odio datum, potiſſimas res geſtas celeberrimi Purpurati, privatáque negotia præcipua delecta fuiſſe, atque in illis inveniri, ut *Livianis* verbis utar, *quod eſt præcipuè in cognitione rerum ſalubre ac frugiferum, omnis exempli documenta in illuſtri poſita monumento, ut inde ſibi ſuæque Reipublicæ, quod imitentur, capiant; inde fœdum exitu, quod vitent.* Sive hoc fuerit experimentum quoddam, quod ſumere voluerit Scriptor, quiſquis ſit, facultatis ſuæ in ſcribenda Hiſtoria, ſi eò animum convertere vellet; ſive alia de ratione in lucem emiſſum; vehementer placuit, quòd facta, aut dicta nulla ſine teſtibus proferantur, quòd ſummo candore omnia dicantur, judiciáque non ex ſtudio partium, aut ſingularibus quibuſdam opinionibus petita, ſed ex æterna & hominibus

 omni-

omnibus communi Veritatis & Æquitatis norma ferantur. Si hæc ergo volumina à Clerico ſcripta ſunt, quamvis alii ſtudiorum generi mancipato; non eſt quod eorum ipſum pudeat, aut famæ ſuæ iis vel minimùm noceri putet. Licet ingeniis quà volunt exſpatiari, ſi modò nihil agatur, quod non ad eumdem Veritatis & Virtutis finem tendat, legentéſque eò tandem deducat, quò omnes tendere par eſt.

Anno quoque MDCXCVI. edidit Clericus Opuſculum Gallicum, *de Felicitate & Infelicitate in Sortitionibus* (quas vulgò *Loterias* vocant, quæque tunc cœperunt in Belgio uſurpari) oſtenditque vulgaribus ſortitionibus divinam Providentiam, præter ordinem, non intereſſe, voces *Felicitas* ac *Infelicitas* carere ſenſu, aliáque Philoſophica & Theologica habet, quæ

non

non pollicetur Libri inſcriptio; & quæ legi à multis & in animum altè demitti Reipublicæ Chriſtianæ intereſſet. Majoris tamen momenti fuit alterum Gallicum Opus *de Incredulitate*, quod eodem anno etiam prodiit. Cùm multi ſcripſiſſent *de Veritate Religionis Chriſtianæ*, oſtendiſſéntque divinam eſſe; nemo tamen ſatis adcuratè docuerat quid eſſet, quod Incredulos à fide ei habenda abſterreret; idcóque, ne quid deeſſet, hîc rationes Incredulitatis, cùm in Incredulis ipſis, tùm extrimſecus poſitæ, multis & diligenter aperiuntur; unde nullam eſſe firmam rationem, cur fidem CHRISTO negare pergant, colligere eſt. Adjectæ ſunt duæ *Epiſtolæ*, in quibus directè *Religionis Chriſtianæ Veritas* extra omnem dubitationis aleam collocatur. Nullo alio de conſilio hoc opus à CLERICO ſcriptum eſt & emiſſum,

ſum, niſi ut dubitantes intelligant non eſſe cur, vitio ſuo præpediti, aut aliorum culpâ offenſi, fidem Chriſtianis dogmatibus diutiùs negent; néve credentes, futilibus rationibus, è mentis ſtatu dejiciantur. Quo conſilio nullum magis cordi eſſe debet Theologo Chriſtiano; præſertim hiſce temporibus, quibus Chriſtianis illudunt Increduli, cùm ſuâ ipſorum culpâ, tum quia ii qui de Christi nomine cenſentur, nimis ſæpe pravis moribus, aut falſâ doctrinâ, non credentibus animos augent, & ſalutis januam veluti occludunt. Si quis aliud eum ſpectaſſe cenſeat, is præter omnem æquitatem optimum animum calumniatur, impedítque, quatenus poteſt, ne rectorum conſiliorum fructum ullum videamus. Quis enim calumniæ obnoxius non erit, ſi oppugnantes Incredulitatem ejus venenata
tela

tela vitare nequeant? Quis Incredulorum nobis adſentietur, ſi ſuſpecti fiant, qui iis ſatisfacere adgrediuntur? Sed Deus ejuſmodi hominibus ignoſcat, eóſque ad meliorem mentem adducat! Clericus ipſe amicis ſæpe teſtatus eſt, ſi quid eſſet in ſe ingenii & judicii, quantulumcumque eſſet, ſe totum id ad conſcriptionem ejus Libelli contuliſſe; cùm res ageretur, quam longè maximi momenti eſſe putaret, & de qua multùm diúque meditatus eſſet.

Anno MDCXCVII. prodiit opuſculum à Clerico dudum, in gratiam adoleſcentium ſcriptum, quo complexus eſt *Epitomen Hiſtoriæ Univerſalis* ab initio Mundi, ad Caroli Magni tempora, Chronologiæque brevem expoſitionem, & quæ ſæpiùs, intra exiguum tempus, legi poſſet; ut memoriæ ordine humani generis fata, virorúmque

que memorabilium ætates mandarentur, & tenaciùs hærerent. Sed nec omiſit ſubinde docere ubi copioſiorem hiſtoriam invenire liceret, & permulta aliter prorſus narrari ſolita quàm par erat, aut ad certa tempora perperam referri oſtendit; nec pauca Recentiorum hiſce de rebus inventa, ſcriptáque Juventuti, ut ad ea ſe conferre poſſet, ſi rem adcuratiùs noſſe cuperet, indicavit. Hoc *Hiſtoriæ Compendium* iterum Lipſiæ anno MDCCIX. lucem adſpexit; & mox tertiùm prælo, ut audio, ſubjicietur paullò auctius & adcuratius, quò majore cum fructu legatur.

Aliud opus, quod diutiùs ſub prælo fuerat, prodiit initio anni MDCXCVIII. *Adnotationes*, nimirum, *&* *Paraphraſis* HENRICI HAMMONDI *in Novum Teſtamentum*, quas ex quo venerat noſter in

in Hollandiam, in Linguam Latinam convertere cœperat; nec niſi magno labore, tædióque ingenti abſolvere potuerat. Sed cùm magna pars operis jam eſſet confecta, & conſultum judicaret à pluribus HAMMONDI haſce lucubrationes legi, telam, quam exorſus fuerat, pertexere conſtituit; ſimúlque, ut vertendi moleſtiam aliquo modo recrearet, notulas iis adjunxit; quibus aut leniter HAMMONDUM confutabat, aut ab eo dicta confirmabat, aut omiſſa ſupplebat, prout tempus, quod ei rei impendit, patiebatur.

Quanti in Anglia fiant HAMMONDI Opera norunt, qui inſulam illam vel obiter ſalutarunt; nec ea ſanè fruſtra Angli magni faciunt. Eſt enim inter primos, qui, HUG. GROTII exemplo adducti, veram interpretandi *Novum Teſtamentum* viam iniverint, multáque loca egre-

egregiè illuſtravit. Fatendum tamen eum ſæpiùs æquo Gnoſticos in Apoſtolorum Scriptis quærere, & ex locis nonnullis Excommunicationem exculpere, in quibus nemo alioquin eam inveniret. Fortè & rectiùs feciſſet ſi aliter Apocalypſin enarraſſet, aut potiùs librum à ſe non intelligi faſſus eſſet. Sed putabat Clericus ejus ſententiam, quæ & Grotii fuit, quem tamen à ſe priùs inſpectum negat Hammondus, æquè facilè ac alias defendi poſſe, cùm de nullius veritate conſtet. At quidquid tandem de Hammondo dixeris, inter optimos Scripturæ Interpretes habendum eſſe, nemo jure negaverit. Reprehendit quidem eum noſter, ſed ita tamen, ut magni à ſe fieri ubique oſtenderit; quod ipſe pluribus teſtatus eſt, in *Epiſtola de Hammondo* & *Critica*, quæ Tomo III. *Artis Criticæ* ſubjecta

ſubjecta eſt. Scio eſſe neſcio quos, qui non HAMMONDI cauſſâ, ſed invidiæ, quâ in ejus Interpretem flagrabant, acerbè propterea carpſerint, quæ noſtro viſum fuerat contra ejus ſententiam dicere; ſed adeò aperta eſt eorum iniquitas, ut iis reſpondere noluerit CLERICUS. Si viveret HAMMONDUS, non dubito quin ei gratias ageret, & ſibi ejuſmodi Interpretem contigiſſe ex animo gauderet; qui multò luculentiùs animi ejus ſenſa expreſſit, quàm ipſe fecerat, & tantum laborem, alieni operis cauſâ, ſuſcepit; dum multò majore cum gloria, ſi gloriam ſpectaſſet, ſua ipſius edere potuiſſet. Cùm is labor maximus, ut omnes norunt, propter durum & coactum HAMMONDI ſtylum Anglicum, fuerit, eo ſatis oſtendit noſter, hominem propterea à ſe non ſperni, quòd eum interdum reprehenderet;
eóque

eóque ipſo labore hoc juris ſibi comparaſſe æquis omnibus Lectoribus, eóque modeſtè uſus eſſe viſus eſt. Nec profectò quiſquàm, qui ſapiat, dicere ſuſtineat à mortuo quidem Theologo diſſentire, diſſenſúmque ſuum, additis magnis in eum laudibus, teſtari nefas eſſe; at vivo conviciari & detrahere, prout libet, licere. Hæc Poſteritas quidem noſtra ridebit, ſed & tantam judiciorum ſiniſteritatem non pauci jam mirati ſunt; & aut nemini licere judicium de ulla re ferre, aut noſtro licuiſſe de Britanni Theologi interpretationibus ſententiam dicere cenſuerunt. Cùm verò eſſet in Anglia ingens numerus exemplarium *Adnotationum* illarum, Anglicâ Linguâ, in manibus omnis generis hominum; in eorum gratiam Bibliopola Londinenſis curavit additamenta Clerici verti Anglicè; atque ex iis

iis juſtum volumen in 4. ut loquuntur, confectum eſt.

Iidem Typographi, qui HAMMONDUM Amſtelodami ediderunt, eodem tempore ſub prælo habuerunt *Patres Apoſtolicorum temporum*, à JOAN. BAPT. COTELERIO Lutetiæ olim editos ac illuſtratos, ad quos acceſſerunt & aliorum in eos Animadverſiones, unà cum aliis eòdem pertinentibus. Conſilium quidem hujus Editionis partim ſuggeſſerant Bibliopolis Angli quidam Theologi; ſed noſter Opus illud diſponendum, quemadmodum eſt, addendáque omnia quæ ſubjecta ſunt monuit, paucas quaſdum *Notulas* adſperſit priori volumini, *Dedicationém*que Reverendiſſ. & Illuſtriſſimo *Cantuarienſi Archiepiſcopo*, & *Præfatiunculam* præpoſuit. Ad calcem ejus *Præfationis* nonnulla ſunt ab eo dicta in laudem COTELERII, quæ ſatis eſſe vide-

videbantur, & quædam in ejus verſione obiter notata erant; quòd in vita ab amicis conſcripta, præter omnem modum, eſſet laudatus. Attamen iis viſum eſt, quæ dixerat CLERICUS, oportere mutari; quod hominibus, ipſo inſcio, in exemplaribus nonnullis, gratificati ſunt Bibliopolæ. At noſter ſemper exiſtimavit ingens eſſe diſcrimen, inter juſtas & meritas laudes, quæ nemini debent negari, & adulationes ac elogia nimia Panegyriſtarum; quæ tam ſunt mendacia, quàm convicia & calumniæ. Nec profectò nimii illi laudatores ſolent magis Religioni ducere detrahere, quàm adulari, & in neutro modum ſervare norunt. Adfectui, nimirum, indulgent, non ſincerum rectæ Rationis lumen, ac judicium, hac in re, ſequuntur.

Potuiſſet noſter multò plura in *Patres Apoſtolicos* adnotare, & plu-

pluribus quæ habet diducere, ſed aliis laboribus diſtinebatur. Erat edita eo tempore, à nonnemine, *Diſſertatiuncula* Latina contra Poëticen; quam vir quidam in Reipublicæ Amſtelodamenſis adminiſtratione ſummus, qui jam fato functus eſt, cupiebat in Linguam Gallicam à noſtro verti, ut eam legere poſſet. Quod cùm amico ejus dixiſſet, amicúſque ille monuiſſet ſatius fore, ſi Clericus, quod ſibi videretur, ea de re, diceret; inde ei natum erat conſilium ſcribendi *Parrhaſiana*, quæ ſic, quaſi *Miſcellæ* Theodori Parrhasii *Animadverſiones*, dicerentur; pro Gallorum more, qui multos ejuſmodi *Miſcellaneorum* libros, ab aliquot annis, ediderant, & Lectorum plauſum tulerant. Igitur conſcriptum & editum tunc ab eo eſt 1. Volumen *Parrhaſianorum*, in quo multa dixit, & quæ non

paucis placuerunt, de Poëtis; de Eloquentia vera & falſa; de Hiſtoria, diſcriminéque veterum & recentiorum Hiſtoricorum; de Elegantioribus Litteris, hoc ævo noſtro prolapſis; de Regnorum, Rerúmque publicarum quarumdam ad occaſum vergentium ſtatu; de Divinæ Providentiæ contra PETRUM BÆLIUM, Manichæorum patronum, ex ORIGENIS ſententia defenſione; de adfectibus, laudibus & caſtigationibus; déque ſuis ipſius Scriptis, quæ obiter enumerat & contra adverſarios nonnullos tuetur. Cùm hoc volumen brevi venditum fuiſſet, eſſétque recudendum, anno MDCCI. noſter, oratus à Bibliopola, alterum ei Tomum comitem adjunxit; ubi eodem modo egit de controverſiis Theologicis; de Studiis eorum, qui ſe Litteratos eſſe non profitentur; de ratione, quâ beata Reſ-

Reſpublica fieri poſſet; de Amicitia; déque vero & falſo zelo. De nulla harum rerum integram & numeris ſuis abſolutam tractationem ſcribere inſtituit CLERICUS, ſed ſumma tantùm capita, quæ majoris momenti ei eſſe videbantur, præſertim ut vulgares quidam errores in apertiore luce collocarentur, & caſtigarentur, adtigit.

Pleraque omnia, à viris quidem elegantioris ingenii, lautioriſque educationis & ſortis benignè excepta ſunt & laudata; poſtea tamen animadvertit eos, quos maximè omnium ei adſentiri & gratias habere par fuerat, in ſe hac ſcriptione incenſos fuiſſe. Ii, ſcilicet, qui Humaniores Litteras in quibuſdam Academiis docent, in ſe dicta perperam interpretati ſunt, quæ in vitia, non in homines, verè & meritò dicta fuerant, in

ea parte Voluminis I. ubi de prolapſis Litteris Elegantioribus ſermo eſt. Quod numquam contigiſſet, ſi ſe eorum vitiorum immunes ſenſiſſent, aut niſi ea emendari ægrè tuliſſent; vel enim ea ad ſe nihil pertinere putaſſent, vel emendare, prout oportuiſſet, ſtuduiſſent. Ab illo ſanè tempore, aliquot ejus generis homines, quamvis ab eo alibi nominatim laudatos, infenſiſſimos habuit, expertúſque eſt non minùs vitiis, quàm hominibus, patrocinari. Virulentis ſcriptis & calumniis eum adpetierunt, quibus hoc tantùm conſequuti ſunt, ut CLERICUS veriora de hoc hominum genere dixiſſe, quàm multi fortè putarant, intelligeretur.

Anni MDCXCIX. initio, è carceribus emiſſa eſt *Harmonia Evangelica*, Græco-Latina, *in folio*, commodiore, quàm umquam antea, ratione

tione diſpoſita; qua de re in mentem CLERICO venit, cùm vidiſſet nonnulla imperfecta folia *Harmoniæ* viri eruditi NIC. TOINARDI ad *Daniel. Elzevirium* olim miſſa. Erant Evangeliſtarum verba non ſine arte diſpoſita, quamobrem laude ſua vir doctus non eſt ſpoliandus; ſed nimia ejus diligentia, aptiórque ſæpe rebus obſcurandis & impediendis, quàm illuſtrandis & enodandis, viſa eſt; quod judicium poſtea etiam tulit CLERICUS de Editione totius illius *Harmoniæ*, quæ Pariſiis, poſt auctoris mortem, prodiit anno MDCCVII. ut Volumine XV. *Bibliothecæ Selectæ* teſtatus eſt. Attamen eſt cur homini gratias habeat, quòd, abſque eo fuiſſet, numquam fortè animo id quod præſtitit concepiſſet. Præterea Diſpoſitioni Evangeliſtarum Harmonicæ, addidit *Paraphraſin* perpetuam, quam eo-

rum verbis ſubjecit. Acceſſere etiam ad calcem *Diſſertationes* de annis Vitæ Chriſti, de Canonibus Harmonicis, déque Evangeliſtis, cum *Notulis* quibuſdam in *Harmoniam* ipſam. Conſecravit hoc opus Illuſtriſſ. & Reverendiſſimo Archiepiſcopo Eboracenſi JOANNI SHARPIO, cui (quidquid neſcio quis hac de re dixerit ad infamandum CLERICUM, ſimúlque Archiepiſcopum) non ingratum munus fuit. Verſa eſt hæc *Harmonia* paullò pòſt Anglicè & Belgicè; nec ita pridem, maxima certè ex parte, eſt Gallico ſermone Genevæ edita. Ut vix ullum aliud opus majore cum animi voluptate, confecit CLERICUS, qui ſermones Chriſti eo ordine diſpoſitos ſummopere miratus eſt, & dum eos paraphraſi exprimere conatur, in animum penitus demiſit, nec ſibi umquam eripi patietur: ſic nec ullum

ullum piis lectoribus magis adriſit.

Sub finem ejuſdem anni MDCXCIX. prodiit ex ejus manibus *Artis Criticæ* Tomus III. in quo non Ars quidem ipſa traditur, ſed ejus maximus, in graviſſimis rebus, uſus oſtenditur. Occaſionem huic Volumini dedit GUIL. CAVEUS, altero *Hiſtoriæ Litterariæ Scriptorum Eccleſiaſticorum* Volumine, ubi ſingulari Diſſertatione contendit, contra plerorumque ſententiam, EUSEBIUM non fuiſſe Arianum quod adfirmarat CLERICUS, in vita ejus quæ exſtat Tomo X. *Biblioth. Univerſalis*; tum etiam negat ſe in vitis CLEMENTIS & EUSEBII quidquam diſſimulaſſe, ne Lectores non ſatis honorificè de iis ſentirent, cujus diſſimulationis ſe à noſtro inſimulatum putabat. In eo ergo *Criticæ* Volumine, ſex Epiſtolis ad tres

Præſules, quos quaſi diſceptatores agnoſcit, datis, Cavei diſſimulationem, ad Catechiſten Alexandrinum, Epiſcopúmque Cæſarienſem quod adtinet, oſtendit; tum de auctoritate, & uſu Eccleſiaſticæ Antiquitatis agit, diſſimulationémque omnem & fraudes quaſvis pias, quibus in Eccleſiaſtica Hiſtoria nihil frequentius, copioſè & graviter oppugnat. In adverſarium ipſum probra nulla, licèt laceſſitus, jacit. Repoſuit quidem Caveus, ſed nihil reſpondit Clericus, quòd ſe rem in ſat clara luce poſuiſſe crederet; nec quidquam ſibi nocere adverſarii libellum, licèt conviciis plenum, putaret. Ceteræ Epiſtolæ pertinent ad alias quæſtiones, natas ex *Animadverſionibus ad initium* Joannis, quas nonnemo oppugnarat. Clericus oſtendit, contra quàm multi putant, Platoni Sacram

Sacram Scripturam, & Judæorum dogmata fuiſſe ignota, nec quidquam ex iis mutuatum; PHILONEM verò cum PLATONE, etiam in iis quæ Ethnicam Religionem redolent, loquutum; Judæóſque ceteros, qui in Ægypto vivebant, multa ab Ethnicis deſumſiſſe. Denique *Animadverſiones* ſuas in HAMMONDUM & *Artem Criticam* contra neſcio quem tuetur; & ſingulari *Diſſertatione* oſtendit, *non ſemper reſpondendum calumniis Theologorum*. Sequente anno MDCC. publicæ luci expoſita ſunt DIONYSII PETAVII *Dogmata Theologica*, qualia olim Lutetiæ fuerant emiſſa, ſed accedentibus aliis libris Theologicis, qui à doctiſſimo Jeſuita diverſis temporibus ſcripti fuerant. Bibliopolis quid edituri eſſent, quod in Gallia & alibi venderent, à CLERICO quærentibus, eum antea ſcriptorem

indicarat, cujus rara erant Exemplaria & magno pretio emebantur. Itaque, iis orantibus, ordine libros addendos paravit & diſpoſuit, utque haberent *Præfationem* & *Notas* Theophili Alethini *S. J. A. E.* in Petavium, operam dedit, nullam ceteroqui curam editionis ſuſcepit; cùm in iis libris nimis multa ſint, quæ improbat, quàm ut tempus ſuum in iis edendis collocare poſſet. Alioquin ab hominibus rerum peritis multo cum fructu legi poſſunt, & leguntur, quod ex celere venditione ſatis intellexerunt Bibliopolæ.

Joannes Martianæus, Monachus Benedictinus cùm Hieronymum edere cœpiſſet anno ſuperioris ſæculi xciii. & anno xcix. alterum ejus volumen emiſiſſet, acerbiſſimè in Clericum noſtrum, Patruúmque ejus, quem antea memoravimus, invectus eſt; quòd aliter ac ipſe ſenſiſſent, aut ab

ab HIERONYMO modeſtè diſſentire auſi eſſent, & hominem erraſſe dixiſſent, in quibuſdam quæ ad Linguam Hebraïcam pertinent. Impoſitam ſibi primùm à Monacho gravem injuriam, in notis ad Deut. I. neglexerat CLERICUS; ſed cùm ſeptennio pòſt in Patruum ferociter debacchatus eſſet, Tomo II. HIERONYMI, quamvis Patres antea ſolerent à Benedictinis, ſine cujuſquam injuria, edi, retundendum ſibi ferocientem Fraterculum eſſe exiſtimavit; quemadmodum fecit anno MDCC. non magno volumine, quod *Quæſtiones Hieronymianas* inſcripſit. Semper quidem noſter tanti HIERONYMUM fecerat, quanti faciendus eſt; ſed vitia hominis nequaquam erat exoſculatus, aut eruditionem tantam crediderat, ut erroris periculo vacaret, aut numquam ab eo diſſentire nobis liceret. Itaque cùm à Monacho

 factio-

factioſo & iracundo apertiſſima ejus delicta defenderentur, omnéſque Recentiores præ illo ſpernerentur, demonſtravit CLERICUS nec vehementem Benedictinum idoneum fuiſſe emittendo HIERONYMO, nec ipſum Aſcetam Bethlehemiticum tantum virum fuiſſe, quantum putabat. Patitur quidem facilè eum laudari, atque ex ejus Scriptis quidquid utile eſt peti; ſed præ eo doctiores multò contemni, manifeſtóſque hominis errores defendi, & quæ habet vituperanda, quaſi exempla, ad quæ nos componamus, proponi; hoc demum ægrè pati poteſt, &, dum licebit, ore & calamo oppugnabit.

Ut rem ab ipſa origine deducat, ORIGENEM ipſum non ita peritum Linguæ Hebraïcæ fuiſſe, ac vulgò credebatur, demonſtrat; quod ſi concedatur, ut ſanè concedi oportet,

tet, nimis ab HIERONYMO laudatum negari non poteſt; minúſque mirum eſt ipſum ſæculo ſuo, ſequentibúſque imperitioribus fucum feciſſe. Tum & ipſum HIERONYMUM in Græca Lingua & Hebraïca, in Analogia Grammatica, ſingulorúmque verborum & loquendi generum ſignificatu, ſic eruditum non fuiſſe, ut doctiſſimi quique Recentiorum præ illo nihili fieri debeant, copioſè oſtendit. Simul opera ejus edita in I. & II. MARTIANÆI Editionis voluminibus, luſtrat, quantique uſûs & pretii ſint candidè aperit, & paſſim Benedictini imperitiam Linguæ Græcæ & Hebraïcæ, iniquitatémque ſummam exagitat; quod non feciſſet, niſi intolerandâ acerbitate Monachi, quam ne ſodales quidem ejus ferre potuerunt, fuiſſet provocatus, & niſi Sacrarum Litterarum ſtudioſorum intereſſe putaſſet, non diſſimulari errores

Veterum, dum pulcherrima & eruditiſſima Recentiorum Scripta & Inventa ſpernuntur. Sunt multa quæ, tametſi vera ſunt, in lucem tamen non protraherentur, niſi fraudes oppoſitas, & incommoda ex eorum ignoratione mox oritura amoliri interdum neceſſe eſſet.

Si MARTIANÆUS Veri, aut Pudoris rationem ullam habuiſſet, aut paullò prudentior fuiſſet; verè in HIERONYMUM & in ſe dicta modeſto ſilentio excepiſſet. Sed homo, qui nec ſe noſſet, nec adverſarium, nec Veritatem, aut Pudorem flocci faceret (non poſſum enim hîc diſſimulare quæ per ſe manifeſta ſunt) in III. Volumine HIERONYMI ad rabiem pænè actus, conviciis & ineptiis armatus, iterum in arenam deſcendit. Quare coëgit noſtrum paucis *Bibliothecæ Selectæ* Tomo XVII. reponere; ubi tamen multa omiſit de induſtria,

tria, quæ in Hieronymum, & indomitam Monachi audaciam dici potuiſſent. Sed jam eum tædebat contentionis, in quam nonniſi invitus deſcendere ſolet, útque ſe, ſuáque tueatur.

Jam ab aliquot annis, dum Clericus Hesiodum Diſcipulis interpretatur, *Notas* in ejus Poëtæ *Theogoniam* ſcripſerat; quas in chartis ſervarat, donec Bibliopolæ non incelebres conſilium de edendo Hesiodo, cujus in Officinis deerant exemplaria, cum eo communicarent. Quo audito, dixit ſibi eſſe *Notas* in *Theogoniam*, quæ ſimul edi poſſent; quod cùm illi libenter facturos ſe dixiſſent, eas ad editionem paravit. Mox illi ab alio Bibliopola ſibi jus *Grævianarum Lectionum*, in eum Poëtam, redemerunt conjunctimque edere conſtituerunt. Scripſit ea de re ad J. G. Grævium V. C. rogatu

gatu Bibliopolarum noſter, ut reſciret an hanc novam editionem *Lectionum* ſuarum, aliqua acceſſione locupletare vellet. Quod pollicitus V. C. pauculis additamentis margini exemplaris adjectis, aliquot menſibus poſtea, præſtitit. Cùm omnia eſſent typis expreſſa, & *Lectiones* quidem *Grævianæ* ſeorſim, initio poſterioris Voluminis, Clerici verò *Notæ* initio prioris; quæſitum eſt uter *Dedicationem*, *Præfationémque* totius operis fronti præfixurus eſſet; ſed cùm Grævium, apud amicum, fortè vidiſſet Clericus, inter eos convenit noſtrum *Dedicationem* & *Præfationem* priori Volumini additurum, Grævium poſteriori, ut æquum erat.

Textum Editionis *Grævianæ* ſequutus eſt, ſed Latinam verſionem, quæ mendis ſcatebat, & paſſim barbara erat, interpolavit, præ-

præſertim in *Theogonia* & *Scuto Herculis;* videtur enim GRÆVIUS *Opera & Dies* potiſſimùm curaſſe. In *Notis* ad *Theogoniam* multa fabularis Hiſtoriæ arcana, cùm ex re ipſa, tum etiam è Lingua Phœnicia aperuit. Egit ipſe hac de re in *Commentariis Diſciplinarum & Artium Trivolcianis*, qui Amſtelodami edebantur, in Menſibus Martio & Aprili, Articulo XXIII. id enim Caput eſt à manu CLERICI. Sunt & quædam ejus alia, quibus P. *Spinolii*, qui nunc obiit, & inter Scriptores *Commentariorum Trivolcienſium* erat, calumnias confutavit; quæ facilè ſecernentur, ope Indicis Volumini VI. Hollandicæ Editionis ſubjecti. Jeſuita acer, & cui CLERICUS ignotus erat, in ipſius *Harmoniam Evangelicam* erat invectus, quaſi Socinianis erroribus infectam. Hominem retudit noſter in illo ipſo

opere,

opere, cujus Volumina IX. ſunt Amſtelodami excuſa; ſed libellis ferocientem poſtea neglexit. Tam Veri, libertatiſque ejus modeſtè proferendi eſt cupidus, quàm eſt rixarum, altercationúmque inimicus. Itaque ubi dixit quod ſentit, rationibúſque confirmavit, & objectiones aliter ſentientium confutaſſe ſe putat, continuò tacet, nec conviciantibus reſpondere ulteriùs ſolet; ne Veritati concertatio longè plus noceat, quàm proſit. Sed hæc obiter, quæ memorare libuit, ut noſtri pauca quædam opuſcula indicarem, Lectorémque ad id quod dixit ipſe de HESIODO ſuo amandarem.

Hoc eodem anno MDCCI. cùm Bibliopola Amſtelodamenſis emiſſet MATTHIÆ MARTINII *Lexicon Philologicum* & *Cadmum Syrophœnicem*, cùm *Gloſſario* ISIDORI, GRÆVII *Notis* illuſtrato, duobus

Vo-

Voluminibus *in folio*, ut vocant, ante quadriennium, Ultrajecti edita, ſed quæ vix vendi potuerant; CLERICUM oravit ut ei novam *Præfationem* præmittere vellet, quâ hoc opus veluti renovaretur, Lectoribúſque commendaretur. Bibliopolæ ergo cauſâ, ſcripſit *Diſſertatiunculam Etymologicam*, quæ duobus Voluminibus nunc eſt præmiſſa; & quâ reverâ factum eſt, ut multò faciliùs opus illud, quod oblivioni veluti mandatum erat, poſtea venderetur. Nec tamen ſpernendum erat, per ſe, ipſum opus; additionéque *Grævianâ* decoratum dignum erat quod emeretur; ſed multi ejus, Etymologiarumque uſum ignorabant, quem ex *Præfatione* demum intelligere cœperunt. Mirari ſatis non potui à GER. JOAN. VOSSIO, viro longè doctiſſimo, & candidiſſimo, tam frequenter exſcriptum fuiſſe MAR-

MARTINIUM, nec tamen monitos Lectores unde quæ exſcribebat derivaſſet. Planè mihi perſuaſum eſt quod ait CLERICUS, in *Præfatione*, GER. JOANNEM VOSSIUM, ſi vixiſſet diutiùs, ipſéque *Etymologicon* ſuum emiſiſſet, dicturum fuiſſe ſe multa MARTINIO, quamvis ejuſmodi eruditione ei nequaquam comparando, debuiſſe. Non pauca enim loca ex eo deprompta caſu poſtea inveni.

Anno MDCCII. voluit CLERICUS, animi causâ, duobus elegantiſſimis Poëtis, à ſe illuſtratis, Rempublicam Litterariam, & præſertim adoleſcentes donare. Alter fuit C. PEDO ALBINOVANUS, alter P. CORNELIUS SEVERUS, quos THEODORI GORALLI nomine edidit; quæ voces ſunt nominis ejus & prænominis interpretationes; Græca & Hebraïca, ita ut prænomen quidem Hebraïcum ſit Græcè verſum,

verſum, nomen verò Græcum Hebraïcâ voce expreſſum. PEDONI, præfixit *Præfationem*, in qua de ratione interpretandi agit; & quæ, vel ab ejus adverſariis, cùm neſcirent cujus opus eſſet, laudata eſt. Cùm verò in ea modum interpretandi tradidiſſet, voluit ejus ipſe exemplum proferre; in quo leges, quas aliis fert, ſequeretur. Vitavit ergo, quoad potuit, tria quæ in Interpretibus minùs probabat. Primum eſt eorum vitium, qui aliud nihil præſtant, niſi quòd varietates quaſdam lectionum, emendationes ex libris, aut conjecturas, & loca aliorum Scriptorum ſimilia, ſi fortè occurrunt proferunt; ſed alto ſilentio innumera, quæ interpretatione indigent, prætermittunt. Scio eſſe nonnullos id genus homines, qui exiſtimant ejuſmodi notas eorum eſſe, qui ſummum eruditionis faſtigium adtige-

tigerunt, qui minuta illa & puerilia omittere ſolent; nec diffiteor fuiſſe viros ſummos, qui ejuſmodi notas ſcripſerint. Sed non ſequitur propterea, eos utiliorem operam Reipublicæ Litterariæ navaturos non fuiſſe, ſi ita ſe geſſiſſent, ut fecere JUST. LIPSIUS in SENECAM & TACITUM, & IS. CASAUBONUS in THEOPHRASTUM & PERSIUM, ubi nullum paullò obſcuriorem locum intactum prætermiſerunt. Accipimus tamen à JOS. SCALIGERO ejuſmodique primariis viris, quæ dare voluerunt, quamvis plura cuperemus; quia ſcimus omnia potuiſſe eos, ſi voluiſſent, interpretari. Sed à minutis quibuſdam Criticis talia meritò faſtidimus, cùm volunt propterea magni viri à nobis haberi; quòd quæ pluribus annis in paucula loca Scriptoris antiqui corraſerunt, velint, quaſi magna quædam merita & eximiorum

miorum ingeniorum fœtus, nobis imputare; cùm re verâ ideò de aliis taceant, quòd ea interpretari non poſſent, & ne ſciant quidem unde eorum peti queat interpretatio. Silentio illo ſuo, non eruditionem produnt, ſed inſcitiam occultant, quamvis alia omnia ſimulent. Alterum vitium erat eorum, qui cùm ad Scriptorem ipſum nihil habent quod dicant, in digreſſiones ad rem nihil facientes dilabuntur, quibus intempeſtivam eruditionem oſtentant. Ii ad quemvis Scriptorem antiquum proferre poſſent, quæ in eos, quos ſibi illuſtrandos delegerunt, converrunt, ſi modò eædem voces in eo occurrunt. Tertium delictum eſt eorum, qui ſeriem & nexum Scriptorum nuſquam oſtendunt, ita ut Lectores eorum operâ rerum connexionem nequaquam adſequi poſſint. Habemus Poëtas, non ita pridem editos,

editos, & amplis quidem collectaneis locorum ſimilium, aut diſſimilium onuſtos, ſed neceſſariis ad loca obſcura intelligenda, nexúmque orationis evolvendum, deſtitutos. Vitare hæc conatus eſt CLERICUS, in PEDONEM & SEVERUM; in quos & perpetuam *Paraphraſin*, & *Notas* ad omnia vel minimùm obſcura, adjecit. Imò verò, ſe ſe incipientibus ſæpe adtemperavit, ut poſſent & proprietatem ſermonis, & ſi quid adluſionis lateat, intelligere, qua tamen in re breviſſimus fuit. Non ignoro fuiſſe nonneminem, qui hæc atrociſſimè invaſerit; ſed ſolus fuit, aut perpaucis indignam Humanioribus Litteris maledicentiam probavit. Tempore ſuo abuteretur noſter, ſi ejuſmodi maledicis reſpondere, quotieſcumque conviciarentur, vellet.

Ab aliquot annis Amſtelodami ſub prælo fuerant AUGUSTINI *Opera*,

ra, ad Pariſienſe exemplar expreſſa, quæ vendi cœpere anno MDCCIII. Cùm autem cuperet Bibliopola Amſtelodamenſis Editionem ſuam acceſſione quapiam adornare, cùm alios, tum CLERICUM adierat; ut ab iis reſciret unde poſſet nanciſci, quod cupiebat. Tradidit ei nonnemo PROSPERI *Aquitanici Carmen de Ingratis*, cum *Notis* MARTINI STEYARTI, Lovanienſis Theologi, ſat noti, ex ſcriptis quæ ANT. ARNALDUS in eum emiſit. Sed auctor ei fuit CLERICUS, ut *Diſſertationes* JOAN. GARNERII, Jeſuitæ eruditiſſimi, ad Hiſtoriam Pelagianam facientes, PELAGII *Commentarios in Epiſtolas* PAULI, ERASMI*que* & aliorum *Cenſuras*, *Præfationes*, *Notas*, & *Diſſertationes*, ad Libros, aut locos quoſdam AUGUSTINI ſubjiceret, quod & fecit. Noſter etiam, nomine JOANNIS PHE-

REPONI (quid enim opus eſt hoc diſſimulare ?) Symbolam quamdam *Animadverſionum Criticarum & Theologicarum in* AUGUSTINUM contulit ; in quibus nonnulla loca illuſtrat & multa quidem laudat , quæ habet Hipponenſis Epiſcopus ; ſed non dubitat etiam nonnulla improbare , quæ putat Rectæ Rationi , aut Revelationi divinæ minimè conſentanea eſſe ; quarum legibus teneri AUGUSTINUM , non minùs ac quemvis alium , meritò cenſet. Itaque varia quæ pertinent ad interpretationem Scripturæ , miracula ficta , perſequutionem Hæreticorum , & Prædeſtinationem , ut ab eo exponitur, capitáque adfinia, & alia, non veritus eſt confutare. Nec video cur liceat in Recentioribus talia vituperare , in Veteribus non liceat ; imò verò in Veteribus damnari oportere potiùs videntur , quòd major

jor eſt eorum vulgò auctoritas, ne contagione noceant. Solent enim, qui non Veritatem quærunt, ſed factionibus alendis operam dant, eorum auctoritatem proferre; quaſi & Scripturæ Sacræ, & Rectæ Rationis luminibus gravior eſſe poſſet; quandoquidem eas opponere eis, per homines factioſos, non licet. Verùm ea de re egit copioſiùs Clericus, *in Quæſtionibus Hieronymianis* & *Artis Criticæ* Volumine III. & pauca quædam dixit in *Appendice Auguſtiniana* (ſic volumen Amſtelodamenſe anno quoque MDCCIII editum inſcribitur) quæ lectu non indigna ſunt.

Qui ſolent ἀντὶ τῆς ἀληθείας ὀνόματα θαυμάζειν ægrè hoc tulerunt, & conviciis noſtrum propterea proſciderunt; quibus nihil repoſuit, nec, ut audio, repoſiturus eſt. Res eſt per ſe ſat perſpicua, & in qua

dumtaxat bonâ fide opus eſt; quæ ſi abſit, ne magna quidem & multa volumina pertinaces ad Veritatem palam agnoſcendam adducere queant. At iraſcentur, niſi reſpondeat. Iraſcantur verò, ſi velint. Plus illis nocitura eſt ira, quàm injuria CLERICO. Quidni plus? modus illius certus eſt, iſta quouſque eos latura ſit incertum eſt, ut cum * SENECA, nonnihil mutatis verbis, loquar.

Eodem anno MDCCIII. in lucem erupit *Novum Teſtamentum* à CLERICO Gallicè verſum, *notiſ*que illuſtratum; quod in gratiam eorum ſuſcepit, qui Gallicè tantùm norunt, & à quibus eſt, ut par erat, exceptum. At nonnulli ex iis, qui ſibi ſolis de rebus ad Religionem pertinentibus verba apud populum faciendi jus vindicant, cùm viderent multis hoc opus probari, timerent-

* *Lib. III. de Ira c.* 25.

réntque ne inde intelligerent auditores, non eſſe in Apoſtolorum ſcriptis dogmata nonnulla, quæ iis ineſſe vulgò dicuntur; cœperunt ubique ſpargere non *Arminianiſmum* tantùm in CLERICI opere memorato, ſed *Socinianiſmum* quoque eſſe; & nonnullos etiam fefellerunt, qui, non inſpecto libro, eorum criminationibus temerè fidem habuerunt. Sed quicumque paullò adtentiùs legerunt ſatis animadverterunt meram hanc eſſe calumniam, quæ ad infamandos bonos viros adhiberi cœpit, ex quo *Arminianiſmi* criminatio eviluit, & mox etiam, nimis frequenti & temerario uſu, obſoleſcet. Nihil enim jam redolet aliquod judicium, inquirendive ſtudium, quo fit ut doctiſſimi quique ſemper nonnihil extra communem orbitam divagentur, nihil manſuetudinem Chriſtianam, piúmque metum eos dam-

nandi, quos *Novi Fœderis* Tabulæ apertè non damnant; quod non continuò *Socinianiſmi* notâ à nonnullis inuratur, quam ne Apoſtoli quidem, ſi in terras redirent, effugere poſſent. Sed de ſua editione *Novi Teſtamenti* & Theologorum quorumdam calumniis egit ipſe CLERICUS *Bibliothecæ Selectæ* Voluminibus II. Art. 7. & III. Art. 9. Quin & nonnulla etiam habet ejuſdem Operis Vol. XVIII. Art. 13. quæ digna quidem ſunt lectu, ſi quis certò ſcire velit quid de hiſce rebus ſentiat, ſed à me brevitatis cauſâ omittuntur. Quin & anno MDCC. brevem *Epiſtolam* Gallicam edidit, in qua loca quædam, quæ carpebantur ab adverſariis, explicuit ac defendit.

Prætermittendum mihi non eſt hoc opus, quod eodem anno edi cœpit, & cujus ſunt nunc (anno MDCXI) viginti duo Volumina in lucem

lucem emiſſa. Cùm intermiſſum planè ab eo fuiſſet, anno ſæculi ſeptimi decimi XCI. opus *Bibliothecæ Univerſalis*, idque onus ab amico aliquamdiu deinceps ſuſtentatum, tandem, ob mortem Bibliopolæ, planè depoſitum eſſet; animadvertêre, qui exemplaria emerant, paullò poſt Riſvicenſem pacem undequâque ea expeti. Quare aliquot Volumina recudi oportuit, quæ deerant, & Bibliopola, apud quem *Bibl. Selecta* excuditur, optare cœpit à noſtro in manus opus reſumi, & denuò hominem antiquo ludo includere conatus eſt. At omnino abnuit CLERICUS eadem inſcriptione & ratione quidquam facere; ſed pro *Bibliotheca Univerſali*, ubi de Libris tantùm, qui quotidie in lucem prodibant, & quibuſvis egerat: inſtituit ſcribere *Selectam*, in qua etiam de nonnullis olim editis libris, recenti-

bisque, quos ſeligeret, agere pro arbitrio poſſet.

Cùm ergo conveniſſet facturum CLERICUM, quod ei videretur, jam ab ipſo primo Volumine ſic cœpit. RADULFI CUDWORTHI Doctiſſimi Viri *Verum Syſtema Intellectuale Univerſi*, quod editum erat Londini, anno MDCLXXVIII. in Epitomen redactum, animadverſionibúſque nonnullis auctum & illuſtratum cum Linguæ Anglicæ imperitis communicare adgreſſus eſt; quod poſtea facere perrexit, donec totus liber eſſet exhauſtus. Cùm nemo Atheorum argumenta meliùs expoſuiſſet ac refutaſſet; nec firmiora Religionis fundamenta poſuiſſet, ita ut ſimile nihil exſtaret; attamen haud aliter erat ignotum hoc opus cis mare, quàm innumeri libri nullius uſûs, quos *fama obſcura recondit*, ut cum Poëta loquar. Quin & in ipſa Anglia incipie-

cipiebat oblivioni mandari, cùm propter magnitudinem operis, ejúſque non ſatis recto ordine diſpoſiti; tum propter factionem quamdam Aulicorum, qui, regnante CAROLO II. cùm primùm editum eſt, naſcentis operis famam veluti ſuffocare adgreſſi erant, nec ſanè parum ei nocuerant. Dignum erat pulcherrimum opus, quod & Anglis ipſis iterum, ſed aliter ornatum, commendaretur, & cum aliis etiam quibuſvis Gallicæ Linguæ peritis communicaretur; iis enim vivimus temporibus, quibus CUDWORTHI argumentis ſummopere egemus. Itaque multi propterea gratias CLERICO, quòd eximiarum ratiocinationum cognitionem ſibi impertiviſſet, egerunt.

Sed cùm vir ſummus, ubi egit de cauſa proxima corporum, quæ organis conſtant; plantarum, nimirum,

mirum, & animalium; eorum formationem non Deo ipſi, ſed Naturis quibuſdam incorporeis, inferioris generis, quas *Plaſticas* vocat, & quæ certo tantùm modo agere poſſunt, tribuat; contigit PET. BÆLIUM, pravarum cauſarum acerrimum patronum, in *Continuatione Variarum Cogitationum de Cometis*, eruditiſſimum Theologum & Philoſophum nonnullæ in ratiocinando imperitiæ arguere; quòd hæc ejus conjectura eodem incommodo, ut quidem aiebat BÆLIUS, laboraret, ac doctrina STRATONIS Athei, qui omnia Naturæ tribuebat. Simul obliquè CLERICUM feriebar, quaſi ita ineptum, ut, quamvis à tot annis Philoſophiam doceret, neſciret doctrinæ CWDWORTHI eadem objici, quæ *Stratonicis*, poſſe. Ad hæc accedebat quòd totum illud Opus *Cogitationum Variarum de Cometis* ſit, ſi rectè

rem

rem reputes, *Atheorum Apologia*, eóque nomine poſſit commodiſſimè inſcribi; nec, ſine pravo conſilio, videretur BÆLIUS elevare argumenta CUDWORTHI, dum Atheos ei æquat. Itaque non exiſtimavit CLERICUS ſibi hoc diſſimulandum, cùm præſertim jam ad ineptias Manichæanas & Scepticas, quas in altera *Dictionarii Critici* editione ei repoſuerat, tacuiſſet; quamvis PYRRHONII magiſtri perſonam BÆLIUS ſatis ſtolidè induiſſet, contemtimque de omnibus Chriſtianis eſſet loquutus. Itaque *Bibliothecæ Selectæ* Volumine V. ei reſpondit noſter, ſed comiter, & ſuſpenſis, ut ita dicam, verbis; ut hominem faciliùs, ſi fieri poſſet, ad ſaniorem ſententiam adduceret. Verùm is non erat Roterodamenſis Philoſophus, qui poſſet ab errore revocari, cúmque, Scepticorum more, omnia oppugnari &

defendi à ſe poſſe crederet, reſpondit noſtro; ita tamen, ut adpareret rem minimè ab eo intellectam; nec reverâ in Philoſophicis ultra Scholarum Peripateticarum & Carteſianarum vulgaria placita progreſſus erat. Facundus quidem fuit, ſed qui populo tantùm multitudine & delectu verborum, facetiiſque, etiam in graviſſimis rebus, placere poſſet; non iis qui rationibus, potiuſquàm ſtrepitu verborum & pigmentis, delectantur. In Theologicis verò planè hoſpes erat, nec quidquam fermè norat, præter id, quod in Concionibus audiebat, aut ex Gallicis libellis hauſerat; nec eò ſeciùs omnes Theologos provocabat, negabátque ullam Chriſtianam Scholam, quæcumque eſſet, Manichæorum, hoc eſt, ipſius objectionibus (nam eas invenerat) ſatisfacere poſſe. Cùm omnes Religionis

gionis Chriſtianæ verè amantes ejuſmodi jactationibus graviter eſſet offenſi, & ſatis liqueret hominem eſſe Religionis irriſorem; exiſtimavit CLERICUS, paullò apertiùs eſſe agendum, réſque tandem in concertationem tantam erupit, ut BÆLIUS, cùm conſtrictus teneretur, more Sophiſtico, inviſum CLERICUM reddere conaretur, & omni genere conviciorum hominem ad mortem uſque oppugnaret, & poſt mortem etiam edenda relinqueret. Interea noſter totam illam controverſiam Manichæanam detexuit, oſtenditque quâ ratione ſolvi BÆLIANA argumenta poſſent, jam non ex ſententia ORIGENIS, ut antea fecerat, ſed ex ſententia, quam veram eſſe ipſe putaret. Eò denique res rediit, ut BÆLIUS, dum nullâ re niteretur, niſi ratiocinationibus, Rationem ipſam oppugnaret, more Scepticorum; quò ubi ſemel

à philoſophantibus deventum eſt, non eſt ampliùs cum iis diſceptandum. Nec tamen minùs Religionem ipſam evertebat, dum ſtare non poſſe, ex Rectæ Rationis luminibus, contendebat, & ſcommatibus ſarcaſticis ubique lacerabat. Eant ergo ſtolidi homines, qui putant Religionis ſtudioſis faviſſe Scepticum, quòd Rationis uſum omnem tolleret; quia ſolent & ipſi ſic Religionem defendere; cùm & eos & Religionem ludibrio manifeſtò haberet. Nemo veritatem Religionis, niſi Rationis ope, agnoſcit; nec quiſquam Rationem repudiat, niſi qui omni fraudis generi patêre velit. Non ignorabat hæc B Æ L I U S, gaudebátque ſe ſimplicibus fucum facere. Itaque pergebat eadem dictitare, donec virulento operi incumbens obiit a. d. 20. Decembris anni MDCCVI. cui ultimùm reſpondit C L E R I-

C U S.

CUS, Art. v. Tomi XII. *Bibl. Selectæ.*

In hoc *Bibliothecæ Selectæ* opere, *Diſſertationes* etiam varias, *Vitáſque* & *Elogia præſtantium in Litteris virorum* habet noſter, quæ nuſquam alibi inveniantur. Ejuſmodi ſunt Tomo I. *Animadverſiones* in *Hiſtoriam* PETRI BEMBI, & in Libellum JAC. WINDETI *de fato functorum ſtatu*; Tomo II. *Obſervationes in* JULIUM FIRMICUM MATERNUM & JUSTINI MARTYRIS *Apologiam* priorem, quarum & aliquot ſequente Tomo exſtant; Tomo III. Q. CURTII *Character*, qualis volumine III. *Criticæ* deſcriptus fuerat; Tomo V. & VI. *Vita Eraſmi* ex ejus Epiſtolis deſcripta, & horum Tomorum priore HUG. GROTII *Defenſio*, poſteriore JOAN. LOCKII *Elogium*; Tomo VIII. *Vita* GEORG. BUCHANANI, *ſcriptorúmque*

rumque ejus Enumeratio & Examen; Tomo X. *Examen loci* Longini, in quo ſublimitatem quærit in hiſce verbis Moſaïcis: *fiat lux, & facta eſt lux*, conſcriptum ab Illuſtri Huetio, & à Clerico illuſtratum; Tomo XI. *Obſervationes in nummos Phœniciis litteris inſcriptos*; Tomis XII. & XIII. *Obſervationes de Larice incombuſtibili*; Tomo XIII. *Animadverſiones in Oracula Ethnicorum*; Tomo XIV. *Vita* M. Ant. Campani; Tomo XVI. *Vita & ſcripta* Boethii, *Diſſertationeſque de Editione* Novi Teſtamenti *Millianâ*, ut & altero ab hoc volumine; eodem Burcheri Volderi *Elogium*; Tomo XX. *Animadverſiones in* Sulpicium Severum, aliáque ejuſmodi, quæ non commemorabo. Hæc obiter adtingenda fuere, ut intelligant ii qui *Ephemeridas*, ut vocant, ſpernunt,
aut

aut ſpernere videri volunt, multa hîc eſſe, quæ ſupra captum Grammaticorum ſint & quibus ſimilia numquam feroces ac invidi homines præſtiterint. Scio Clericum *Bibliothecæ Selectæ* Opere gratiam hominum ingenio & judicio pollentium ſibi comparaſſe; quibus ut placeat operam dare potiùs debet, quàm ut veræ Eruditionis & Virtutis inimicis gratificetur.

Tomo IV. *Bibl. Selectæ* ſat honorificè loquutus erat Clericus de Editione Propertii, quam adornaverat Poëticâ eruditione celebris, & Latinorum præſertim Poëtarum lector aſſiduus Janus Broekhusius; nec fuit cur ille propterea quereretur, cùm non defuerint, qui nimias laudes in eum congeſtas dixerint; quòd multa loca obſcura & difficilia, ne digitulo quidem, vir eruditus adtigiſſet. Nec ſanè, dum viveret, quidquam, quod

quod ad aures CLERICI pervenerit, queſtus eſt. Eodem modo, Tomo XV. de ejuſdem jam facto functi TIBULLO egit, nec quidquam in eo reprehendit, niſi quòd nimis prolixè vulgaria interdum proſequutus eſſet, & exemplis permultis omnibus nota illuſtraſſet; tum etiam nonnullos, qui ei blandiebantur, præter modum laudaſſet, quorum tamen nomina non protulit CLERICUS, uti nec quidquam dixit, unde dignoſci poſſent. Hæc ipſa, de quibus nemo dubitare poteſt, iis verbis condivit, ut nemo queri poſſet quidquam minùs humanum ei excidiſſe. Attamen nuperus PETRONII ARBITRI editor, qui dudum, ne verbulo quidem provocatus, in editionem PEDONIS & SEVERI *ſatiricum libellum* ediderat, & contumelioſè editorem proſciderat, & ab eo tempore præter meritum à CLERICO laudatus

tus fuerat, ferociſſimè in eum, in *Petroniana Præfatione* invectus eſt; quod omnibus, etiam ejus amicis, diſplicuit; quibus conſtabat nihil eſſe à CLERICO dictum, de quo quiſquam, & ne ipſe quidem, dubitare poſſet. Itaque Tomo XIX. noſter famam ſuam, ut ei viſum eſt, vindicavit, & cùm adverſarius ridiculo juxta ac contumelioſo *Libello* Gallico in eum, atque in ejus amicos, more ſuo, debacchatus eſſet; cur ei reſpondere nollet, Tomo XX. aperuit, nec profectò ulli bono, cum ejuſmodi homine, contentionis ſerram reciprocare licet.

Anno MDCCIV. edidit Bibliopola Amſtelodamenſis NICOLAI SAMSONIS *Geographicam Sacram* cum Tabulis & Indice Geographico; in quem *Notulas* nonnullas addidit noſter, quibus aut errata ejus viri comiter oſtendit, aut

etiam

etiam illuſtrat quæ habet, vel Lectori intento digito indicat, quos legere oporteat, ut certiora & adcuratiora inveniat. SAMSONI alioqui *Geographia Recentior* multùm debet, ſed *Antiquioris* non ſatis erat peritus; quòd ſcriptores Græcos & Latinos non ſatis legiſſet, & Hebraïca etiam ne legere quidem, ut ex *Notis* conſtat, poſſet. Itaque minùs potuit ab errore, ſi præſertim à viris horum peritis confirmatum videret, ſibi cavere; quod liquet ex iis quæ dicta ſunt ad vocem TROAS; in qua errarunt non tantùm SAMSON, ſed etiam CAR. PATINUS, JOAN. FOI-VALENTIUS & ipſe quoque, omnibus multò doctior, GER. JOAN. VOSSIUS; quod ſine ulla eruditorum virorum inſectatione pluribus oſtendit noſter; qui novit etiam maximis viris quædam excidere, quæ facilè vitaſſent,

taſſent, ſi magis adtendiſſent. Sed ea venia humanitati debetur, ut remiſſæ interdum adtentionis ratio ab ea non repetatur. Quid in eo Opere ſit docuit ipſe *Bibl. Selectæ* Tomo II. Art. 9. Simul quoque prodiit, ex ejuſdem Bibliopolæ officina, Opus multò eruditius ac utilius, *Onomaſticon*, nempe *Urbium & Locorum Sacræ Scripturae*, ſeu *Liber de Locis Hebraïcis* Eusebii & Hieronymi, auctus & illuſtratus ab erudito Jeſuïta Jac. Bonfrerio. Raró jam proſtabat hoc *Onomaſticon*, nec ſatis commodo ordine diſpoſitum erat. Noſter textum vitiosè admodum antea editum recenſuit, *Bonfrerianis* ſuas *Notulas* addidit, & omnia elegantiùs multò & commodiùs diſponi curavit; quod ex ejus *Praefatione*, voluminiſque ipſius inſpectione liquebit. Hæc duo Opera ſplendidè & majore formâ edita

edita ſunt ; ut antea ab eodem Bibliopola excuſa fuerat Caroli a s. Paulo *Geographia Eccleſiaſtica*, cui etiam *Monitum* præfixum addiderat noſter.

Anno ſequente MDCCV. Bibliopola Amſtelodamenſis ſat notus, & qui Tabularum Geographicarum venditione amplas ſatis opes ſibi comparavit, collegerat ſuo judicio *Tabulas Geographicas* circiter XCIII. cùm ex Samsonianis, tum ex aliis quibuſvis, quibus, pro more ſuo, Samsonum nomina præſcripſit. Iis, nemine, ut puto, conſulto, volebat *Atlantem Antiquum, Sacrum, Eccleſiaſticum, & Profanum* ſibi conficere; &, merce exigui pretii ſat grandem pecuniam in ſacculum ſuum corradere. At quæ facienda, hanc in rem, fuiſſent, ut rectè fierent, nolebat ullo modo facere. Oſtendit ergo Clerico collectionem hanc, exceptis

ceptis pauculis Tabulis, jam ſcultam. Immanes is errores illico, in *Tabulis* aliquot, animadvertit; ut propemodum Bibliopolam ipſum eorum eſſe auctorem putaret. Ille verò, oſtenſis exemplaribus Pariſinis, aliiſque, quæ vitiis illis laborabant, ſe ſe purgavit. Omnia emendare integrum non erat, debuiſſent enim multæ *Tabulæ* ad fornacem amandari, ut æs liquefactum meliorem uſum præberet, & aliæ denuo fieri, quod hominis rationibus & utilitatibus minimè conveniebat. Satis igitur habuit, cùm majores ſumtus facere nollet, aliquot mendorum centurias è ſculptis jam eliminari; quod fecit noſter, ut in *Præfatione* dixit, quam Lectores conſulere poterunt, ſi res tanti ſit. Nec CLERICI conſilium, etiam in hac re, per omnia ſequi voluit; nam *Tabulas* quaſdam Gallicas mendoſiſſimas, & inutiles,
aut

aut alienas, ex hac collectione eliminare, eo ſuadente, non ſuſtinuit. Quin & nonnulla, quæ emendanda omnino erant, & obelo à noſtro notata fuerant, ne elegantia ſculpturæ corumperetur, relicta ſunt; quamvis reclamaret noſter, & mutanda iterum iterùmque moneret. Exempli cauſâ, in Tabula *Paradiſi Terreſtris*, quæ Doctiſſimo & Reverendiſſimo Viro P. D. Huetio, Abrincenſi antehac Epiſcopo, tribuitur, apud Elymæos, ad ortum Eulæi fluvii, pingitur urbs hoc nomine Latino *Paſini vallum*, eadémque, nomine Græco, *Charax Paſinis* ad occaſum ejuſdem fluvii iterum abſurdè, interpoſito vacuo intervallo, collocatur, cùm alterutra delenda, ex admonitione Clerici fuiſſet. Sed Bibliopola, qui tamdiu pravas *Tabulas*, & nullâ curâ confectas, imperitis vendiderat, hanc quoque

quoque ſe venditurum ſperavit, æquè ac ſi emendatiſſima fuiſſet, nec melioribus conſiliis aures vacuas præbere potuit.

Anno demum MDCCVI. à *Petro Vander Aa*, Lugdunenſi Bibliopola, magnis Operibus editis non incelebri, pulcherrima illa Operum Des. Erasmi Roterodamenſis Editio, decem voluminibus *in folio*, abſoluta eſt. Cœperat proſtare jam ab initio anni tertii ejuſdem ſæculi volumen primum, & aliquot alia; ſed dum exſpectantur Epiſtolæ ineditæ, quæ tertio insererentur, aut poſtponerentur; dum ſequentia volumina excuduntur, additamentiſque novis inſtruuntur, anni aliquot abiere. Singula volumina Clericus aut per ſe, aut per amicum perlegit, paravitque Editioni, ut in lucem prodirent eo modo, quo nunc elegantiores libri

typis exprimuntur; nam multa in arte Typographica, à tempore *Frobenii*, ſunt mutata, præſertim in natali ſolo ERASMI; in quo Typographia ad eam perfectionem eſt perducta, vix ut perfectior evadere poſſe videatur. Omnium mutationum & additionum rationem reddidit noſter, in Præfationibus ſingulis voluminibus præfixis, eáſque, in *Bibliotheca* quoque Selecta, breviter memoravit; nec opus eſt me eadem denuò Lectori narrare.

Semper amarat CLERICUS, ſemper laudarat alterum illum Hollandiæ ſuæ ocellum (HUGONEM enim GROTIUM alterum vocitare noſter, nec perperam, ſolet) libentérque, licèt aliis pluribus & gravioribus negotiis diſtentus, onus hoc, à Bibliopola compellatus, in ſe ſuſcepit, & ad finem uſque pertulit. Inchoavit

opus

opus ab ejus laudibus, quæ tametſi magnæ ſunt, merita tamen viri non ſuperant. Fuit in ERASMO ſingularis prorſus, iis temporibus, indoles, quâ cum cupiditate diſcendi maxima, laboriſque in ſtudiis litterarum, juvandiſque æqualibus & poſteris, indefeſſa patientia, peracre conjunxerat judicium, ingenium amœniſſimum, candorem mirum, certè juvenili ætate, amorem Veritatis & Virtutis ſummum, ac mirabilem facundiam. Ideóque ejus operum lectione ſemper vehementer delectatus eſt noſter, junioréſque ad eam ſolet adhortari. Nonnullas laudum ab eo in ERASMUM collatarum proferam, quia inde etiam liquere poteſt, quid de vera eruditione, virtutéque ſentiat, & quæ fortaſſe exempla ſit ipſe ſequutus; non quidem in omnibus, ſed in multis, quæ ex hac ipſa Vita intelligere eſt.

„ Paſſim videre licet, inquit in „Præfatione Tomi I. Philologos, „qui quamvis ceteros homines, „more ludi magiſtrorum ſollemni, „deſpiciant, nihil præter verba & „conſuetudines priſcas, opinioneſ- „que Græcorum & Romanorum „norunt; atque in ceteris ferè de- „ſipiunt; nec umquam Gramma- „ticorum clauſtris egredi conantur, „quin cordatioribus omnibus ludi- „brium debeant. Nec deſunt „Theologi, qui Scholæ tricis in- „nutriti, ſuis diſtinctiunculis & „ſyntagmatibus omnia metiuntur, „nec Sacrarum Litterarum volumi- „na, aut antiquiorum Chriſtiano- „rum lucubrationes ex ipſis arche- „typis linguis, ut par eſt, inter- „pretari poſſunt. Pauciſſimi hu- „maniorum & ſanctiorum Litte- „rarum feliciſſimum illud ac fe- „cundiſſimum elegantiorum par- „tuum conjugium intra pectus

„ſuum

„ ſuum celebrarunt. At plures pro-
„ fectò non ſunt, inter eos qui no-
„ men ſuum Litterarum ſtudiis de-
„ derunt, qui auſint ſæculi ſui vi-
„ tiis manum medicam adferre,
„ niſi quatenus prodeſt; laudare
„ ceteroquin, aut certè diſſimulare
„ turpiſſima quæque parati, ſi mo-
„ dò ex adulatione ac diſſimulatio-
„ ne ſua lucellum aliquod ad ſe re-
„ dire poſſe ſperant.

Ab omnibus hiſce vitiis alieniſſimum fuiſſe ERASMUM ejus Editor contendit, multiſque in ea præfatione oſtendere conatur; nec quiſquam de multijuge hominis lectione, ſumma eruditione, præſertim temporibus illis, ingenióque mirabili dubitare queat. „ Po-
„ tuit ERASMUS inter primarios ſæ-
„ culi ſui Philologos honoratum lo-
„ cum obtinere, ſi eorum tantùm diſ-
„ ciplinas adtigiſſet; ſed ſublimius
„ ejus erat atque erectius ingenium,

„ quàm ut in inferioribus illis arti-
„ bus conſeneſceret. Itaque ſe ſe ad
„ Theologiam contulit, ad cujus
„ tamen cognitionem ſibi compa-
„ randam, Linguarum, Humanio-
„ rúmque Litterarum peritia feli-
„ ciſſimè uſus eſt. Ejus ætate prin-
„ ceps illa Diſciplinarum, omni
„ ferè aliarum ornatu exuta, cole-
„ batur, & cum ſtyli barbarie con-
„ juncta præterea erat inſcitia at-
„ que ineptia ratiocinationum acu-
„ tioribus prorſus intolerabilis.
„ Cùm eam univerſam niti opor-
„ teat aut Sacrarum Litterarum
„ auctoritate, aut antiquiorum
„ Chriſtianorum teſtimoniis; nec
„ Græci, nec Latini Patres, imò
„ ne utriuſque quidem Teſtamenti
„ tabulæ, ex Latina Vulgata Inter-
„ pretatione, intelligebantur. Ad
„ eam ergo barbariem profligan-
„ dam, diſcutiendáſque tenebras
„ Cimmeriis obſcuriores, cùm alii
„ viri

„ viri docti, tum etiam Erasmus
„ noſter, elegantiorum Litterarum
„ ſtudia, maximo ſucceſſu adhi-
„ buerunt. Ille quidem, ſuperio-
„ rum proximè ætatum Interpre-
„ tum Scripturæ pertæſus & ipſos
„ fontes adiit & rivos antiquiorum
„ ſæculorum, propiùs è fontibus
„ derivatos, propemodùm exhauſit.
„ Quem enim Scriptorem Eccle-
„ ſiaſticum, qui quidem tunc exſ-
„ taret, non excuſſit? Quem,
„ datâ occaſione, non laudavit?
„ Imò verò cùm nullæ quorumdam
„ eſſent editiones, quæ ferri poſſent;
„ novas, incredibili labore, in ſuum
„ & aliorum uſum, adornare ad-
„ greſſus eſt & præſertim quidem
„ *Hieronymi* & *Auguſtini* lucubra-
„ tiones immenſâ mendorum copiâ
„ expurgavit, ſpurias à genuinis
„ critico acumine diſcriminavit,
„ & nonnullas etiam à capite ad cal-
„ cem interpretatus eſt. Ad hæc,

„ quaſi colophon tranſlatio Novi „ Teſtamenti atque adnotationes, „ Paraphraſeſque in omnes ejus libros acceſſere. Legendæ dumtaxat ſunt Epiſtolæ, quibus hæc, aliaque illius ævi Mæcenatibus dicavit, & quæ nunc per totum Epiſtolarum corpus ſparſæ ſunt, aut ſingulis libris, ſuo loco, præfixæ; ſed in Editione Londinenſi in vigeſimum octavum librum erant collectæ. „ Vix credet, qui eas „ evolvet, viri unius vitam atque „ induſtriam potuiſſe tot & tantis „ laboribus ſufficere.

„ Dum autem Erasmus ex ipſis „ fontibus, aut limpidioribus, ut „ quidem exiſtimabat, rivis Theo„ logiam Chriſtianam hauriret, „ eos minimè imitatus eſt qui quod „ cupiunt in iis quærunt, eáque, „ quæ ipſorum indoli conſentanea „ ſunt, inde referunt. Alii naturâ „ contemplationum arduarum, ri-

„ xa-

„ xarúmque, quæ ex iis naſci ſo-
„ lent, amantes; iis lectis, de ſo-
„ lis myſteriis loquuntur, quæ non
„ tantùm acerrimè defendere para-
„ ti ſunt, ſed & ſubtiliùs interpre-
„ tantur, interpretationeſque ſuas
„ minùs probantes vehementiſſi-
„ mè inſectantur; unde jurgia
„ oriuntur, quæ poſtea calamitates
„ innumeras pariunt. Alii non tam
„ Religionis, quàm veſtis, quâ
„ indui ſolet, ſtudioſi in antiquis
„ monumentis, nihil præter rituum
„ ac cærimoniarum veſtigia inda-
„ gant, atque in ſua illa inveſtiga-
„ tione nihil inveniunt, niſi ea,
„ quæ ad illam externam Religio-
„ nis ſpeciem pertinent & quorum
„ neceſſitatem præter modum ur-
„ gent; ejúſque non ita obſervan-
„ tes faciliùs, quàm par eſt, proſ-
„ cribunt. Utrique autem, & hi &
„ illi, ſanctimoniæ Chriſtianæ,
„ quæ in timore Dei & probitate

 „ mo-

„ morum ſita eſt, negligentiores „ſunt, vitiiſque haud illibenter „ ignoſcunt; dum internecino bel- „ lo hallucinationes ingenii huma- „ ni, rituúmque neglectum, in „ hominibus ceteroqui bonis, per- „ ſequuntur. ERASMUS verò, minimè neglectis myſteriis, ritibúſ- „ que, quibus aut decentior fit „ Religio, aut humana imbecillitas „ adjuvatur, reverentiam Numi- „ nis, ſanctiſſimorúmque ejus præ- „ ceptorum obſervationem, ex rec- „ ta myſteriorum, cærimoniarúm- „ que interpretatione neceſſariò ma- „ nantes, neque à Deo ulli uſquam „ remiſſas, potiſſimùm exigebat; „ quod ex quinto Operum ejus vo- „ lumine, ſequentibuſque intelli- „ gere eſt.

„ Hanc Religionis Chriſtianæ „ partem ejus ævo fermè conculca- „ tam & Scripturæ Sacræ & Vete- „ rum Teſtimoniis ita illuſtravit,

„ ac

„ac confirmavit; ut inter potiſſi-
„mos ejus inſtauratores meritò ha-
„beatur. Id certè ejus fuit acu-
„men, eáque animi probitas, ut
„feliciter ubique ſecernat eas opi-
„niones, eáque inſtituta, quæ à
„malis, æquè ac bonis, defendi,
„atque obſervari poſſunt, ab ea
„fide, iiſque moribus, quæ in ſo-
„lis bonis inveniuntur; quippe
„qui norat eam demum veram eſ-
„ſe Religionem, quâ homines
„non acutiores, aut externâ ſpe-
„cie ſpectabiliores, ſed Dei &
„Proximi amantiores fiunt; nec
„eum bonum haberi poſſe, qui
„nihil facit, quod ab improbi
„animi hominibus æquè fieri ne-
„queat.

Hæc habet ERASMUS fermè ubi-
cumque de Vera pietate verba fa-
cit, imò & in ipſis illis *Colloquiis*,
quæ cupiebat à pueris legi; &
meritò, ſunt enim teneris animis

quàm primùm ſemina veræ Virtutis mandanda, quæ poſtea egregios fructus edant. Sed nuſquam pleniùs & apertiùs, hac de re, agit, quàm in *Enchiridio Militis Chriſtiani*, quod exſtat Tomi V. initio, atque ea doctrina, quæ bonis omnibus tam placuit, quàm improbos offendit, refertum eſt.

„ Hanc cùm veræ Theologiæ „imaginem animo concepiſſet, „erudito ac bono nemini improbandam, tantum theſaurum, ut „ſolus eo frueretur, nequaquam „infodit; ſed omnibus, qui eo „uti vellent, communem eſ„ſe oportere exiſtimavit. Itaque „Scriptis eum ſpargere, per uni„verſam Europam, conatus eſt; „qua de cauſa, quidquid fuit vi„rorum bonorum ſummas ei gra„tias habuerunt, ut operum ejus „celerrima venditio & frequens „ubique lectio ſatis oſtenderunt.

„Verùm

„ Verùm cùm non tam bene cum „ rebus humanis agatur, ut probi „ atque eruditi ullo modo æquent „ improborum ac imperitorum nu- „ merum; in ſe vir ſummus & ve- „ ræ Virtutis ſtudioſiſſimus innu- „ meros malos atque indoctos con- „ citavit.

„ *Colloquia*, ut habet noſter in „ Præfatione Volumini IX. & X. „ præfixa, quæ avidiſſimè ejus æta- „ te lecta ſunt, & hac noſtrâ „ etiamnum ſumma cum volupta- „ tate leguntur, ſale quidem adſ- „ perſerant nonnullos eorum, qui „ minutas quaſdam cærimonias „ aliáque ejuſmodi inania commen- „ ta pro Religione venditabant; „ ſed neminem nomine adpellarat. „ Attamen ex IX. & X. Volumi- „ nibus liquet, pro innoxiis illis „ Colloquiis, imò verò utiliſſimis „ omnium Dialogorum, Apolo- „ gias multas optimo viro ſcriben-

„ das fuiſſe. Verſione Novi Teſ-
„ tamenti, Adnotationibus & Pa-
„ raphraſibus nemini nocere, om-
„ nibus prodeſſe conatus eſt, éſt-
„ que in iis cur ei Poſteritas om-
„ nis gratias habeat; quas doctiſſi-
„ ſimi quique viri in Scriptis ſuis
„ dudum egerunt & porrò agent,
„ dum aliquis honos erit Sacris
„ Litteris & Bonæ Menti. At vo-
„ lumina Apologiarum ſatis indi-
„ cant quot in ſe crabrones, utiliſ-
„ ſimis operibus, concitarit. Fateor
„ homines iniquos & importunos
„ ſatis acriter tandem ab eo fuiſſe
„ repulſos, & cùm lædi famam
„ ſuam videret ab iis, de quibus
„ bene meritum ſe eſſe putabat,
„ aliquando paullò commotiorem
„ fuiſſe & ea ſcripſiſſe, quæ alio-
„ qui numquam emiſiſſet homo
„ mitis ingenii & quietis amantiſſi-
„ mus. Sed quis non ignoſcat aſſi-
„ duis laboribus, in uſum Reipu-
„ blicæ

„blicæ Litterariæ exantlatis deſa-
„tigato, nec eò ſeciùs de omni-
„bus bene mereri pergenti; ſi dic-
„teriis & ſcommatibus malignorum
„& iniquorum adverſariorum ali-
„quantò acriùs repoſuerit? Quis
„indignetur viro, qui, ferventibus
„acerrimis contentionibus ac præ-
„liis fermè quotidianis, cùm ab
„iis abhorreret, ſéque ex acie ſub-
„ducere conaretur, indignatio-
„nem nonnullam in eos teſtatus eſt,
„qui inter tela verſari invitum vo-
„lebant? Quamvis autem in Apo-
„logiis commotior ſubinde videa-
„tur, quàm in aliis operibus, at-
„tamen quiſquis eas leget paullò
„ſtudioſiùs, inveniet paſſim ἐράσμιον,
„hoc eſt, amabile illud ingenium
„jocoſum & amœnum, quodque
„ridere quàm ringi multò mal-
„let, & adverſarios jocando,
„potiùs quàm mordendo, ad
„ſaniorem mentem æquiúſque de
„ſe

„ ſe ſentiendum reducere conare-
„ tur.
„ Strinxit calamum in Romanæ
„ ſedi addictos Scriptores ; ſtrin-
„ xit & in eos qui ab ea ſeceſſio-
„ nem fecerant, ſed ab utriſque la-
„ ceſſitus ; & ita in iis concertatio-
„ nibus ſe ſe geſſit, ut nihil præ-
„ ter neceſſaria, ad famam ſuam
„ tuendam, proferre ſibi videre-
„ tur, nec ſtudio partium tranſver-
„ ſum agi ſe pateretur. Certè
„ quodcumque de ſingulis ejus
„ Scriptis feratur à nobis judi-
„ cium, ita perſonam, quam ſibi
„ impoſitam eſſe à magno rerum
„ humanarum Chorago exiſtima-
„ bat, ſuſtinuit ; ut partes, quæ
„ tum contendebant, nec nunc mi-
„ noribus ſtudiis certant, homi-
„ nem, quantumvis utrimque lace-
„ ratum, ad ſe trahere conentur.
„ Vituperamus, carpimus, erro-
„ ris, diſſimulationis, aut timidita-
„ tis

„ tis doctiſſimum virum arguimus,
„ nec eo ſeciùs noſtrum eſſe volu-
„ mus. Cùm ſcribit in eos, quos
„ Judaïſmum revocare voluiſſe ait;
„ tum alii apertè ſibi hominem fa-
„ vere dictitant. Cùm verò invehi-
„ tur in eos, qui ſeceſſionem fece-
„ runt, clamitant continuò adver-
„ ſarii ſuum eſſe. Utrique ſibi fa-
„ venti plaudunt, diſſentienti in-
„ dignantur. An igitur neutris ille
„ partibus addictus fuit? Imò verò
„ utriſque, dum & hos & illos ad
„ mitiora & æquiora conſilia revo-
„ care conatur. Non diffiteor ir-
„ ritos fuiſſe ejus hac in re labores,
„ nec cum illo multos poſtea ſen-
„ ſiſſe; ſed ſi boni animi omnes ei
„ gratiam habeamus, condonemúſ-
„ que ceteris viri meritis, ſi quid
„ minùs in ejus Libris placeat,
„ æquum de eo judicium feremus,
„ quod nulla ætas poſſit nobis ex-
„ probare, optimi verò & doc-
„ tiſ-

„tiſſimi viri ſemper ſint lauda-
„turi.

Hoc fuit ingenium Erasmi, hic ejus animus, ut ex omnibus ejus Scriptis colligere licet. Sed ſi quis Epiſtolas præſertim legat, nihil verius dici potuiſſe animadvertet. In hac Clerici Editione, non ſunt tantùm ccccxxv. Epiſtolis auctiores, ſed omnes quæ quidem editæ fuerant, aut ad manum erant, ſunt ad temporum ordinem redactæ; quod maximi eſt momenti, ut cum voluptate & fructu legi poſſint. „Mirum eſt Eraſ-
„mum, ut habet Editor, cùm
„Epiſtolas ſuas vivus in publi-
„cam lucem emitteret, nullam
„prorſus temporum habuiſſe ra-
„tionem, quibus ſcriptæ erant,
„multas ſine ulla temporis nota
„edidiſſe, in multis tempora men-
„dosè notata reliquiſſe, atque om-
„nes in faſciculum collectas ſine
„or-

„ordine ullo veluti projeciſſe ab „aliis, ſi ita videretur, in ordi„nem redigendas. Ejuſmodi enim „confuſione fiebat, ut nunc ERASMUM ſenem, mox puerum, aut „juvenem audires loquentem, fi„nem rerum quarumdam legeres, „antequam earum vidiſſes initium, „nec ullam ſeriem ejus vitæ adſe„quereris. Quibus rebus fiebat ut „voluptas, quam ex nonnullarum „lectione nemo non capiebat, cum „ad alias tranſeundum erat, valde „minueretur; quia re imperfectâ „dimiſſus Lector continuò ad alia „transferebatur, ſæpe antiquiora, „aut quæ nullum certè nexum cum „ſuperioribus habebant; nec ad „rem inchoatam, niſi ſerò, redi„bat.

„ Itaque in hac Editione ante om„nia opera data eſt, ut & ordine „temporum, quoad ejus fieri po„tuit, collocarentur, quò & hiſ-

to-

„toriam vitæ Erasmi, & rerum
„ quæ ejus tempore contigerunt &
„ quarum meminit, aut pars fuit,
„ haberet Lector; quâ re nihil uti-
„ lius ac jucundius eſſe poſſe multi
„ ſuâ ipſorum experientiâ ſenſe-
„ runt. Cùm enim varias Erasmi
„ Epiſtolas, prout erant, ordine
„ perturbato, olim legiſſent, nec
„ eam confuſionem ſine faſtidio fer-
„ re potuiſſent, atque ad voluminis
„ finem pervenire; contrà maximâ
„ voluptate perfuſi ſunt, quando
„ primùm ordine collocatas lege-
„ runt. Quod & alii experti ſunt,
„ qui quamvis antea haſce Litteras
„ legiſſent, novum tamen prorſus
„ opus ſibi legere viſi ſunt, cùm vi-
„ tam Erasmi ex ordine diſpoſitis
„ collectam, Gallico ſermone per-
„ luſtrarunt, Tomis V. & VI.
„ *Bibliothecæ Selectæ.*

Hinc intelligere licuit Clerico ſe rem utilem & gratam iis, qui Eras-

Erasmi lectione delectantur, præſtitiſſe, novâ hac ejus Epiſtolarum diſpoſitione; quamvis accuratior eſſe potuiſſet, ſi Appendicis Epiſtolæ in manus Bibliopolæ citiùs perveniſſent. Sed optimæ & potiſſimæ (quamvis ſpernenda non ſit ea acceſſio) editæ jam antea fuerant, ſúntque ordine digeſtæ.

Alia, quæ in hac Editione acceſſerunt, ex Præfatione ipſa Tomi III. cognoſci poterunt. Nihil addam de notarum inanium in Colloquia reſectione, déque aliarum paucularum additione, ut & iis quæ Adagis interdum ſubjectæ ſunt & *Stephanianis*, ſine nomine, permiſtæ; non ſunt ea ejuſmodi, propter quæ ſibi quidquam deberi à Republica Litteraria, exiſtimet amicus noſter. Non diſſimulabo tamen interdum quædam viri maximi delicta ab eo eſſe notata, & plura multò notari potuiſſe

tuiſſe, præſertim in verſionibus è Græcis Scriptoribus; ſed ea in re humaniſſimè ubique eſſe loquutum, nec contumelioſis verbis quidquam ei exprobraſſe, pro more ſupercilioſorum Grammaticorum, qui *puerıles & turpes errores* ſummis viris ſuperbè exprobrant; quaſi non liceret in rebus exigui admodum momenti, præſertim hominibus multis & gravibus ſtudiis diſtentis, interdum dormitare! aut quaſi fas eſſet ignavis hominibus, qui intra decennium, Elephantum inſtar, pariunt, fecundiſſimis ingeniis remiſſam alicubi induſtriam exprobrare! Quin etiam noſter, *in* Præfatione primi Tomi Erasmi, rem quàm molliſſimis poteſt verbis excuſat. „ Quamvis „ vadis, inquit, navim illiden- „ tem, in ampliſſimo omnigena- „ rum Litterarum Oceano, tantum

„ vi-

„ virum ad feliciorem curſum in-
„ terdum revocaverimus; non ideò
„ ingenio ac eruditioni ejus ullâ
„ ratione detractum volumus. Sæ-
„ pe erravit, pravis malarum edi-
„ tionum lectionibus deceptus; in-
„ terdum etiam dormitavit, quod
„ fas eſſe in tam multiplici ſcriptio-
„ ne nemo inficias iverit, præter
„ homines pigros, qui cùm ipſi
„ nihil præſtent, leves eruditio-
„ rum nævos malignè obſervant,
„ ut inde ſibi gloriolam, apud
„ ſui ſimiles, quærant, &c. Eos
„ demum patiemur de Philolo-
„ gica eruditione ERASMI te-
„ nuiter ſentire, qui pluribus ac
„ majoribus ingenii, doctrinæ-
„ que monumentis ſæculum ſuum
„ illuſtrarint; quod interea dum
„ fecerint, taceant oportet, ni-
„ ſi velint, apud omnes erudi-
„ tos, bonóſque viros malè audire.

Sed de ERASMO plura di-
xi,

xi, quàm fortaſſe neceſſe erat; ideóque jam ad alia me conferam; ſi monuero non deeſſe noſtro ævo *Robortellos*, qui paria in eos qui de re litteraria bene mereri conantur hodie faciunt; quod noſter ſat frequenter expertus eſt, quamvis ſe cum ERASMO conferri non patiatur. Si quis humani generis hiſtorias paullò adtentiùs legat, aut etiam ea dumtaxat, quæ ad viros litteratos, Litterarúmque fata pertinent, evolvat; facilè animadvertet, in rerum humanarum, aut ad Litteras pertinentium theatro, varias quidem perſonas partes ſuas agere, ſed ſimillima paſſim Dramata videbit. Fuere olim homines, qui rem litterariam juvare conati ſunt, & re ipſâ juverunt; fuere item alii, qui eorum merita obſcurare & minuere adgreſſi ſunt. Utriuſque generis homines ſunt etiamnum hodie, erúntque in poſterum

Hiſce

Hiſce temporibus, Clericus in vertendis & illuſtrandis *Veteris Teſtamenti Hiſtoricis Libris*, aut in conſcribenda *Bibliotheca Selecta* totus cùm eſſet, nec Amſtelodamo, niſi rariſſimè, pedem efferret; rumor eſt ſparſus in Anglia, ſub anni MDCCVII. finem, hominem eſſe in ea Inſula, & multi etiam ſecum eo colloquutos eſſe dicebant. Non deerant, qui fieri poſſe negarent, quòd noſtrum & muneris functionibus, & aliis occupationibus tranſmare detineri ſcirent. Quod cùm in Hollandiam ſcriptum eſſet & mirum videretur, paullò pòſt accepit, Monachum quemdam, qui cucullâ abjectâ, Reformatæ Religioni nomen dederat, & Hagæ habitabat, cui Friderico Augusto Gabillonio, nomen erat, hiſtrionium illic facere, & nomine ſuo multos fefelliſſe. Quin & ridiculæ quædam narrabantur il-

lius Comœdiæ ſcenæ, quæ indignationem quidem in eo nonnullam, ſed multò majorem riſum excitarunt. Nec diu tamen Anglis, quorum multi Clericum etiam de facie norunt, non minùs ac Galli in Britannia degentes, verba dare potuit; fraúſque in rerum quotidianarum Commentariis, ut ab ea ſibi caverent, qui Clericum non noſſent, Londini promulgata eſt, & mox etiam Amſtelodami *Reipublicæ Litterariæ Novellis*, Menſe Novembri, inſerta. Ei ſanè doluit viros optimos fuiſſe, in Anglia, nomine ſuo deluſos, & factum nollet; ſed hinc intellexit, non ſine voluptate, ſe nonnullâ gratiâ apud eos valere, qui nomini ſuo honorem habuiſſent, gratiáſque propterea bonis & eruditis viris, qui eo decepti ſunt, habet, habebitque, & quâ poterit referet. Cùm verò Monachus in Hollandiam

diam rediiſſet, eadem audaciâ, quâ noſtri perſonam induerat, & egerat, rem negavit, auctorémque *Novellarum Reipublicæ Litterariæ* calumniæ ſcripto virulento inſimulavit; quod non tuliſſet impunè, ſi talia in Belgio Fœderato punirentur. Vera enim fuiſſe, quæ Londino ſcripta erant, ex Authenticis teſtimoniis, in duabus Epiſtolis Gallicis, anno MDCCVIII. editis, demonſtratum eſt.

Hoc ipſo anno MDCVIII. prodierunt *Veteris Teſtamenti Libri Hiſtorici*, à CLERICO verſi & *Commentario* explicati; qui non ſine ingenti labore ita ornari potuerunt, ut omnes intelligent, qui vel aliquot paginas in iis legerint, aut etiam quod de iis habet Auctor, *Biblioth. Selectæ* Tomo XV. expenderint. Nec opus eſt pluribus hîc à me de iis agi, cùm memorato loco ſat copiosè ſint ab

Auctore deſcripti. Hoc unum addam, unum à CLERICO ſibi propoſitum ſcopum fuiſſe Veritatis & Virtutis dilucidationem, expoſitionem, ac defenſionem; à quarum priore ſicubi inſcius & invitus diſceſſit, ſperat tamen nuſquam ſe à poſteriore defeciſſe, aut deficiendi cuiquam juſtam cauſam præbuiſſe. Humanæ naturæ, in optimis quibuſque, imbecillitas lapſus & hallucinationes ægrè fugit, quidquid agat, aut moliatur, quòd inviti homines errent; at inviti non poſſunt Virtuti nuncium remittere, quòd volentibus auxilium divinum numquam deſit. Utrumque, ſi poſſimus, conjungamus; aut certè poſteriori, quod Dei auxilio poſſumus, conſtanter adhæreamus.

Ab aliquot annis cogitarat CLERICUS de edendo SULPICIO SEVERO, ſi auxilia nonnulla nanciſci

ei potuiſſet; quam in rem exſcripſerat è STEPH. BALUZII *Miſcellaneis* & LUC. DACHERII *Spicilegiis*, ejus Scriptoris *Epiſtolas*, quæ omnibus editionibus deerant, notulisque eas obiter illuſtrarat. Has, cùm omnium Operum diſertiſſimi Scriptoris edendorum conſilium jam abjeciſſet, ad egregium Bibliopolam Lipſienſem *Thom Fritſchium*, miſit, ut eas Editioni, quam meditabatur, alterius voluminis inſtar, ſubnecteret. Quod anno MDCCIX. ab eo, in elegantiſſima *Sulpicii* Editione factum eſt, de qua vide *Bibl. Selectæ* Tomum XX. P. 2. Art. VI. Vere ejuſdem anni, prodiit Amſtelodami pulcherrima Editio Librorum HUG. GROTII aureorum de *Veritate Religionis Chriſtianæ*; quos cùm ſemper in ſinu geſtaſſet CLERICUS, viri illius eximii admirator, & , ubi opus fuit, patronus,

diligenter recenſitos, & notulis quibuſdam auctos Bibliopolæ tradidit, & Libro Unico, *de eligenda inter Chriſtianos diſſidentes ſententia*, auxit. Oſtenderat GROTIUS Religionem Chriſtianam eſſe veram, argumentis deductis ex iis, quæ ab omnibus Chriſtianis creduntur. Quare omnis generis Chriſtianis placuerat & laudatum fuerat ejus Opus. At diſſidentibus Chriſtianis, & ſe ſe viciſſim damnantibus, ſupererat quærendum cuinam Chriſtianorum familiæ nomen eſſet dandum; niſi fortè quiſpiam ſibi fingeret nuſquam nunc eſſe Chriſtianos, quibuſcum Communionem colere poſſet. Hoc ergo libello oſtendit CLERICUS, quamvis ſumma Chriſtianiſmi incolumis ſit, apud omnes Chriſtianorum Societates, quæ nunc ſuperſunt, attamen ei demum Societati nomen eſſe dandum, quæ nihil Chriſtia-

nis

nis imponit; præter id quod doctrinam eſſe Chriſti, ex indubitatis Revelationis Divinæ monumentis, eis certò conſtat; hoc eſt, quod in Novo Teſtamento unuſquiſque, qui non deſipiat, ſi amore aliquo Veri ducatur, invenire poteſt; nec quidquam ab iis, quaſi neceſſarium ad ſalutem, præter eam fidem, vitamque ei conſentaneam, exigit. Quod ſi ab omnibus Chriſtianis Societatibus fieret, brevi, pro ſævis diſſentionibus & Chriſtiano nomine planè indignis, auream pacem, à tot ſæculis exſulantem, in terris iterum videremus. De hoc ſuo Libello egit ipſe CLERICUS, *Biblioth. Selectæ* Tomo XVIII. Art. 6.

Eodem anno, initio Autumni, prodiere ex ejus Muſeo fragmenta MENANDRI & PHILEMONIS magnâ curâ collecta, verſa & notulis illuſtrata, de quibus pluribus fortè

eſſet agendum, niſi ipſe Auctor de iis dixiſſet quod ſatis eſſe videatur, *Biblioth. Selectæ* Tomo XIX. Art. 7. & in præfatione Libelli Latini, de quo mox agemus. H. Grotii & noſtri etiam conſilium fuit eximias Ethicas ſententias, in manum non tantùm Juventutis, ſed & omnium eorum, qui ejuſmodi moralibus dictis delectantur, hoc eſt, optimorum & ſapientiſſimorum quorumque, tradere; ut, dum eas legunt ac animo verſant, prudentiores & meliores fierent. Quare uterque ſenſum potiſſimùm ſpectavit, & multa in numeris, fragmentiſque laceris neglexit; quia præterquàm quòd, quidquid vitioſum erat, conjecturâ tutò reſtitui non poterat, nihil hoc ad eum, quem dixi, finem faciebat. At quidam, aliis de cauſis, Clerico inimici, cùm deberent ei conſilio favere, hinc occaſionem arripue-

puerunt in eum debacchandi, quaſi omnia corrupta reliquiſſet, aut imperitiâ quoque corrupiſſet, quam in rem etiam apertiſſima menda typographica proferunt; quod eorum adfectum ita prodidit, ut nemo non viderit talia ab animo nocendi ei, qui numquam eos ullo dicto, aut facto prior læſerat, non Rempublicam Litterariam juvandi eſſe profecta. Verùm, quia cæci ſolent eſſe adfectus, in HUG. GROTIUM paria dici ab iis contigit, iis quæ in ejus admiratorem jecerunt; quo factum ut non magis CLERICO, quàm GROTIO, extra ejuſmodi telorum jactum poſito, nocuerint. Neutrius ſtudium bene merendi obſcurare poterunt; niſi plura, & meliora, quàm uterque, præſtent. Quod ubi fecerint, digni erunt qui audiantur; priùs omnium bonorum aures ſibi occluſas invenient. In-

terea omnes CLERICI amici ei occinent elegantia illa ipſius *Philemonis* verba, ἐκ τȣ̃ ἐπιδικαζομένȣ, quibus monet, *ſuavius nihil, neque concentum ullum gratiorem eſſe, quàm ſi quis poſſit convicium ferre; ſi enim is, in quem convicia jaciuntur, diſſimulet, convicia in conviciatorem recidere:*

Ἥδιον ȣ̓δὲν, ȣ̓δὲ μȣσικώτερον
Ἔσθ᾽ ἢ δύνασθαι λοιδορȣ́μενον φέρειν.
Ὁ λοιδορῶν γὰρ, ἐὰν ὁ λοιδορȣ́μενος
Μὴ προσποιῆται, λοιδορεῖται λοιδορῶν.

Anno MDCCX. tandem prælo ſubductus eſt & proſtitit T. LIVIUS, cum *Notulis* CLERICI, *Supplementiſ*que omnibus *Freinshemianis*. De eo *Biblioth. Selectæ* Tomo XIX. Art. 3. ſat copiosè egit, & in *Præfatione* ipſa LIVII, quid in hac editione ſpectarit, paucis oſtendit. Commodiſſima eſt editio, ut ab ambulantibus, ruſti-

can-

cantibúſque, aut foco adſidentibus legatur; itáque emendata ſunt *Freinshemiana Supplementa*, ut quæ priùs legi, ſine faſtidio, propter menda, non poterant, jam cum voluptate legantur. Numquam cogitavit CLEICUS, de illuſtrando perpetuis explicationibus LIVIO, qui nec iis eget; ſed ea, quorum in mentem Scriptorem diſertiſſimum ad prælum parantis venit, paginis ſubjecit. Quamvis Librariorum, aut temporis vitio, multa etiamnum ſint in pulcherrima Hiſtoria, quæ aut ſine dubio mendoſa, aut certè mendi ſuſpecta ſunt; tamen, poſt adcuratiſſimas editiones *Gronovianas*, ſine Codicum MSS. à J. FRID. GRONOVIO non inſpectorum ſubſidio, multa tutò emendari non poſſe putat. Sunt quidem qui audaces manus inferant Antiquitati, nullo auxilio, niſi conjiciendi libidine, inſtructi,

tructi, & pro imperio quod ſibi diſplicet, mutari jubeant. Sed iidem paſſim, ubi omnia ſunt plana, ſenſúſque pulcherrimi, & verba delecta, ſuâ ipſorum inſcitiâ occæcati, vim Veteribus adferre tentant, & acutioribus omnibus ludibrium debent; nec profectò licet, ſine manifeſta neceſſitate, nullis præeuntibus MSS. Codicibus, quidquam mutare. Alioqui nihil eſſet contra Criticorum audaciam tutum, nihil in Antiquitate certum ac exploratum. Itaque doctiſſimi quique viri in eam licentiam ſunt invecti, quam ſuperciliosi quidam Grammatici nunc reducere conantur. Multò præſtat mendoſa remanere loca nonnulla, & pro mendoſis légi, quàm emendationibus falſis, aut incertis mutata, quaſi ſic ab Auctoribus ipſis ad nos perveniſſent.

Haud multò pòſt Cantabrigiæ pro-

prodiit pulcherrima Editio Sal-luſtii, cum notis cùm aliorum, tum potiſſimùm viri doctiſſimi Josephi Wassæi; cui præfixa eſt brevis *Hiſtorici Latini Vita* à Clerico conſcripta & ad Editorem miſſa. Contexta eſt partim verbis ipſis Veterum, è quibus eſt collecta, dignáque quæ legatur ab iis, qui Scriptores Veteres æquè Virtuti addictos fuiſſe putant, ac in Scriptis videntur, nec ſatis quantum verborum & rerum diſcrimen ſit adſequuntur.

Anno tandem mdccxi. lucem viderunt Æschinis *Socratici Dialogi tres*, Græcè & Latinè, cum fragmento Latino quarti. Græcos vertit & *Notis* illuſtravit Clericus, iiſque *Silvarum Philologicarum* Librum I. ſubjunxit. Dudum animadverterat Litterarum ſtudia nunc verſari in lectione Scriptorum præſertim Latino-

rum, qui ſæpiùs recuduntur à viris doctis, & notis ornantur; dum Græci Scriptores planè jacent. Viderat & Philoſophos prorſus negligi, quaſi ex Hiſtoricorum & Poëtarum, & potiſſimùm quidem Latinorum, quidquid ad Antiquitatis cognitionem facit hauriri poſſet. Quod eſt ipſorum Latinorum Scriptorum judicio ita contrarium, ut nemo eorum ſe eruditionem ullam conſequutum putaſſet, niſi Græcos Scriptores & præ ceteris quidem Philoſophos legiſſet. Sic optimis temporibus Romani, cùm Oratores, tum Poëtæ, ne Philoſophos commemorem, factitabant. Nemo Ciceronem & Horatium legit, qui rem ſæpiùs in illis non animadverterit; nemo paullò ſtudioſiùs doctiſſimorum Criticorum, qui olim & nuper ſcripſerunt, lucubrationes evolvit, qui non paſſim Latinos permulta è

Græcis,

Græcis, & quidem Philoſophis deſumſiſſe, animadverterit. Itaque, ſi non rei ipſius cauſâ, cujus tamen præcipua eſſe cura debet, at certè vel propter Latinos Scriptores, Græci etiam legendi fuerunt, & ſtudioſæ juventuti diligenter commendandi. Quiſquis eas delicias deguſtarit, videbit fruſtra à Latinis olim Græcorum Eruditionem ſummis laudibus ſublatam non fuiſſe, gratiáſque habebit iis, qui fontes illos ſibi oſtenderint.

Optandum eſſet priſcos Philoſophos, qui nobis etiamnum ſuperſunt, eadem curâ ornatos prodire; quâ à centum annis, eóque ampliùs, alios multò minoris momenti & uſûs Scriptores prodiiſſe videmus. Multa tamen eſſet illic quoque oſtentandæ eruditionis etiam Philologicæ occaſio; ſed & in ipſa Philoſophia antiqua multa

occur-

occurrerent admiratione digna, quæ ferè negligimus, nec pauciora quæ acumen in judicando poſtularent, ut ipſa Veterum judicia ad examen revocaremus, auderemúſque ab iis diſſentire, eodem jure, quo illi à Majoribus ſuis diſſenſerant. Jam adcuratiùs philoſophantibus, errores nullo negotio paterent, eáque occurrerent, quibus rectiùs uti poſſemus, quàm Veteres ipſi uſi ſint; ſi modò ad eam lectionem, non tantùm linguæ Græcæ, ſed etiam Philoſophiæ hodiernæ cognitione probè inſtructi accederemus.

Ut viam ei generi ſtudiorum munire iterum inciperet, pro virili ſua, CLERICUS ex iis *Dialogis*, qui ad calcem PLATONIS edi ſolent, tres ſelegit, qui à SUIDA ÆSCHINI *Socratico* tribuuntur, ſúntque eo digniſſimi. Eos ſeorſim edi curavit, eâ formâ quâ facilè

facilè poſſint circumferri, iiſque ornatos notis, ut non difficulter à mediocriter Linguæ Græcæ perito intelligi queant. Qua in re etiam priſtinum ſuum ſervavit inſtitutum, ut in manus hominum revocaretur Scriptor, qui dignior eſt qui teratur, quàm alii multi, qui quotidie ab omnibus leguntur. Quid in eo libro ſit non dicam, nam multò præſtat ipſum legi, & Editor *Bibliothecæ Selectæ* Tomo XXII. ea dixit de Æschine ſuo, quæ ſalivam etiam faſtidioſis Lectoribus movere poſſint.

De *Philologicis Silvis* nihil addam, niſi Scriptorem poſſe & alia id genus, ubi otium erit, bellaria nobis adponere; quæ non ingrata, nec injucunda erunt. Poſſit de hoc ſuo Opere, ut & de multis aliis, quæ ad ſui Ipſius defenſionem non ſcripſit, dicere quod Jos. Scaliger de *Caſtigationibus*

ſuis

ſuis in CATULLUM, TIBULLUM & PROPERTIUM dixit; „ſcio magnæ eruditionis viros non „non parum priſcis auctoribus il„luſtrandis contuliſſe. Equidem „illis ſuam gloriam non invideo; „ſed neque ipſi meam mihi præri„pere, ſi bene operam collocavi; „neque, ſi malè, conatum ſaltem „vituperare poſſunt. Eum verò „modum ſervavi, ut neminem vi„vum, (*non provocatus*) ne mi„nimâ quidem animadverſione „perſtrinxerim; mortuos autem, „etiam cùm ab iis diſſentio, num„quam, niſi honorificentiſſimè „adpellarim. Illiberale enim faci„nus, propter neſcio quas verbo„rum quiſquilias, aut propter er„rorem aliquem, qui humanitus „contigerit, tantorum hominum „eruditionem, atque adeò totum „nomen & famam in periculum „vocare. Hoc ſolent facere ſtolidè „arguti

„ arguti homunciones, qui in hu-
„ juſmodi ἀκανθολογίαις totam æta-
„ tem contriverunt, divina au-
„ tem ſapientiæ myſteria igno-
„ rant.

Pinxiſſe hiſce verbis videtur SCALIGER duos viros, qui noſtro, licèt laudibus ab eo, quas, ut ex re ipſa jam liquet, non merebantur, ſublati excanduerunt; & ita quidem excanduerunt, quaſi neceſſe eſſet omnem eum exiſtimationem amittere, ob quædam, quæ in Editione Fragmentorum MENANDRI & PHILEMONIS, carpſerunt. GITONEM intelligo *Petronianum* & PHILELEUTHERUM, qui ſe falsò *Lipſienſem* vocavit. Si quâ præditi eſſent prudentiâ, cavere homines oportuiſſet, ne rem in extremum diſcrimen deducerent; nam quiſquis ita ſe gerit, de tota ipſe quoque exiſtimatione dimicare cogitur, niſi fortè

fortè ſibi fingat licere ſibi quidem alios conviciis invadere, iis verò nefas eſſe ſe & ſua defendere; aut certè ſi alius ſe ſe tueri adversùs eum adgrediatur, nihil acturum, quòd nulla in re acerbus conviciator erret, aut umquam errarit, nec poſſit proinde quidquam ei exprobrari; aut denique aliis non licere, integrâ famâ, aliquando falli, ſed ſibi ſoli id juris eſſe. Is enim cujus ab eo graviter læditur exiſtimatio, niſi ſit planè ſtipes, ac fatuus, æquè animosè pro ſua pugnat fama, ac alius eam oppugnarat: ac proinde non diſſimilem ei moleſtiam creat. Oſtendit etiam ſæpe eum humanitus aliquid eſſe paſſum, & interdum graviter hallucinatum; quod longè turpiſſimum eſt, cùm lapſum eſſe demonſtrat, in iis ipſis in quibus maximè ferociebat, & ignorantiam adverſario ſuperbè exprobrabat. Unde conſequens eſt

ut

at exſequias ejus ingenio & eruditioni eamus, quemadmodum aliorum omnem famam à ſe exſtinctam eſſe putavit; niſi ipſe id quod fecerat damnet, ad ſaniorem mentem redeat, & veniam à Lectore petat.

Hæc omnia cùm poſſet CLERICUS erga adverſarios facere, ſtatuerat tamen nihil iis reponere; quòd exiſtimationi ſuæ nihil timeret, nec magis putaret neceſſe eſſe *ſemper reſpondere calumniis Grammaticorum*, quàm *Theologorum*. Sed ſub finem anni MDCCX. accepit, ab ignota manu, PHILARGYRII CANTABRIGIENSIS *Emendationes in* MENANDRUM *&* PHILEMONEM, Phileleutherianis oppoſitas; quas non edere non potuit. Poſtquàm enim, omnia alia meritus, vidiſſet PHILELEUTHERUM ſe ſe ſcientem ac prudentem in mediam rixam conjeciſſe, & ſibi illuſiſſe eo modo, qui virum

modeſtum non decet; non erat cur in eum ſcriptam reſponſionem ſupprimeret. Eadem operâ etiam noſter, in Præfatione præmiſſa, ſe ſe defendit, idque ſpecimen eorum quæ dici poſſent edidit; nemo ut dubitare queat, an ſint ei arma, quibus ſe tueatur, ſi velit. Sed non ſolet ille ad ejuſmodi certamina, niſi ſerò & ægrè, deſcendere, & quàm primùm poteſt ab iis decedit. Ea etiam habet ſub manu, quæ multò majoris ſunt momenti & uſûs, quàm Grammaticæ quæſtiones, quæ neminem decent, niſi Grammaticos. Qui dicebat *philoſophandum eſſe, ſed paucis;* idem multò potiore jure dixiſſet, ſi Grammaticum quis agat, paucis agendum. Omnes Clerici amici uno ore ei ſuaſerunt, ut homines illos miſſos faceret, & bene mereri de iis, qui Veri amantes & Sacris ſtudiis addicti ſunt pergeret, quod

quod factúrum illum ſpero & voveo.

Inter ejus opera, ſuo loco, non memoravi verſionem Gallicam trium *Concionum* V. R. Gilb. Burneti, qui deinde Salisburienſis in Anglia Epiſcopus fuit, & magna cum laude Eccleſiæ illic & Reipublicæ operam utiliſſimam navavit. Sunt editæ eæ *Conciones* annis LXXXVIII. & LXXXIX. ſeptimi decimi ſæculi, quibus Guilielmus Auriacus Britanniam liberavit, & accepto diademate regere cœpit, ac eis de rebus agunt. Paullò antea etiam verterat *Confutationem* ab eodem Anglicè ſcriptam *Defenſionémque* Burneti, in *Lib. IX. Hiſtoriæ Mutationum Religionis* Ant. Varillasii, qui multa de Angliæ Reformatione, pro more ſuo, finxerat. Quin & Clericus *Confutationi Præfationem* addiderat, in qua hominem ſibi minimè

conſtare & multò meliùs antea de Joanne Husso & Hieronymo Pragensi ſcripſiſſe, oſtenderat. Sed cùm eorum opuſculorum potiſſima laus Viro Reverendiſſimo debeatur; non erat cur libellorum illorum verſiones, inter Clerici *Opera*, recenſerentur.

Hæc fuit, ut ita loquar, ejus vita litteraria; hæc diſcrimina, hæ concertationes, quibus quod ei verum videbatur defendi à ſe oportere putavit; hi denique labores, quibus vitam, ad hodiernum diem, exercitam habuit. Nunc ea eſſet deſcribenda, quam extra Muſeum egit, agitque, ſi per eum nobis liceret. Anno quidem præteriti ſæculi xci. uxorem duxit Mariam Lætam, Gregor. Læti filiam, ex qua quatuor liberos habuit, ſed qui omnes in infantia obiere. Unus Gregorius Clericus, puer elegantiſſimi ingenii & vultûs, de-

li-

liciæque parentum, ad octavum ætatis annum pervenit; quo, longo morbo exhauſtus, obiit, mœrorémque æternum orbis parentibus reliquit.

Plura de ſe, ſuiſque moribus dici non patitur amicus noſter; cui me parere, hac in re, æquum eſt. Alioqui de vitæ ejus ratione, déque commercio litterario, quod ei cum doctiſſimis & nobiliſſimis viris interceſſit, interceditque, multa poſſem hîc dicere. Sed pro iis omnibus, quæ dici aliquando fortè poterunt, ſubjici curavi duorum virorum doctiſſimorum & celeberrimorum Epiſtolas aliquot ad eum ſcriptas, quas mecum communicavit. Nonnulla ad calcem, ubi opus fuit, ut meliùs intelligerentur, addidi. Iis & hujus opuſculi moles, quod Bibliopola optabat, non nihil augebitur, & quàm comiter ſe ſe erga noſtrum

viri ſummi geſſerint conſtare poterit. Si ſervaſſet CLERICUS litterarum ſuarum Apographa, potuiſſem fortè ea quoque ab eo impetrare; ſed aut nulla fuere, aut invenire non potuit. Quin & multas Illuſtrium Virorum Epiſtolas amiſit. Interea ſatis ex harum litterarum ſingulari humanitate liquebit, ſolis humanioribus litteris neminem efferari; ſed unumquemque, pro ſua indole, iis uti, aut abuti.

JOAN-

JOANNIS GEROGII
GRÆVII
ET
EZECHIELIS
SPANHEMII
AD
JOANNEM CLERICUM
EPISTOLÆ.

JOANNIS GEORGII GRÆVII EPISTOLÆ.

I.

Viro Clariſſimo & Doctiſſimo

JOANNI CLERICO

S. P. D.

JOANNES GEORGIUS

GRÆVIUS.

QUAS pro deſiderato dudum mihi (1) *Meurſii* Libello, ut & pro quarto Tomo *Bibliothecæ* tuæ pulcherrimæ grates

referam non invenio. Gratum tamen, memorémque & ad omne genus officii & obſequii, paratiſſimum me ſemper cognoſces. Mitto nunc *Meurſium* de Sacris Eleuſiniis, nec non Hiſtoriam Sablolienſem *Menagii*, quam nuper mihi dono miſit auctor. Eam nondum te vidiſſe credo. Diſſertationes *Harduini*, de triplici baptiſmo, ne nunc quidem ad me perlatæ ſunt. Fertur *Horthemelius*, Pariſienſis Bibliopola, iter ad nos adfectaſſe & illum librum ſecum aſportaſſe.

